


751027






Penta I. 528.



DIALE-
CTICA,
S E U
INTRODUCTIO
IN
SEVERIORES
DISCIPLINAS.



CASSOVIÆ,
Typis Academicis Soc. JESU.
ANNO M.DCC.XLIV.



NAGY IVAN



PROEMIUM.



Operatio intellectûs est actio vitalis, quæ scilicet ab intellectu fit, & in eo recipitur, ac exprimit, & repræsentat, tanquam speculum, res sui speciem nostros in sensus, ac dein in animam immittentes; sicut accidit oculo, qui postquam recepit speciem parietis in se, efficit visionem, quæ repræsentat parietem. Tres sunt istiusmodi operationes. Nam intellectus interdum contemplatur res, quin alteram de altera affirmet, aut neget; interdum alteram de altera affirmat, aut negat; interdum ex affirmatione, aut negatione alterius de altera tertiam infert. Operatio intellectûs res contemplantis, quin alias de aliis affirmet, aut neget, vocatur simplex apprehensio e.g. Homo, Deus. Operatio mentis res alias de aliis affirmantis, aut negantis, vocatur enunciatio, iudicium, & propositio e.g. Homo est animal rationale; Deus est summum Bo-

num. Operatio intellectûs ex affirmati-
 tione, aut negatione alterius rei de al-
 tera inferentis tertiam, vocatur discursus
 e. g. Homo est animal rationale, er-
 go homo est creatura nobilior, quàm
 lignum, aut brutum; DEus est sum-
 mum Bonum, ergo non est habendus
 odio. Hæ operationes naturâ duce
 eliciuntur. Ex earum accuratiori ob-
 servatione exstiterè animadversiones,
 quibus certi reddimur, num ratione re-
 ctè utamur; deprehendimus, in quos
 errores labantur alii, deprehensos er-
 rores manifestamus, & regulas cavendi
 istiusmodi errores præscribimus. Hæ
 animadversiones, & regulæ vocantur
 Dialectica, seu scientia rationalis, quæ
 aliud non est, quàm facultas dirigens
 intellectum in cognoscendo. Hujus-
 modi facultatis sumula quædam, & com-
 pendium hic traditur; sed quia opera-
 tiones intellectûs, & animadversiones
 circa eas cum vocibus connectuntur,
 etiam illas eodem loco expendi necesse
 est Intellectus & mens idem sunt, hinc
 operationes mentis, & operationes in-
 tellectûs pro iisdè accipiemus. Sit itaq;

DI-

DISPUTATIO I.

De prima mentis operatione.

ARTICULUS I.

Quid sit Terminus.

1. **O**peratio nostræ mentis res contemplando alias de aliis affirmantis, & quodammodo invicè conjungentis vocatur etiam compositio. Operatio mentis res contemplando alias de aliis negantis, ac invicem separantis vocatur divisio. Tum compositio, tum divisio constat terminis.

2. Terminus duppliciter sumi solet primò generatim, & latissimè pro quavis parte orationis contenta in propositione. Ità dicimus: hæc res est ex terminis nota, id est, ex ipsa vocum, quibus constat, & partium orationis notitia, est explorata. Terminus hoc sensu est signum ponibile in propositione, & hac ratione etiam adverbia & modificationes, ipsa aded copula dici possunt termini.

3. Sumitur terminus secundò speciatim strictè, ac propriè. Sic sumptus est extremum propositionis. Jam verò extrema cujusvis propositionis sunt duo, præ-

dicatum, & subiectum. *Prædicatum* est terminus, qui de altero affirmatur, vel negatur. *Subiectum* est terminus, de quo alterum affirmatur, aut negatur. Ut cum dicitur: Homo est animal, ly *homo* est subiectum, quia de eo affirmatur; ly *animal* est prædicatum, quia hoc affirmatur.

4. Horum ratio non est alia, quàm authoritas Aristotelis, & reliquorum post Aristotelem Philosophorum. Nam voces significant ad placitum hominum non quorumvis, sed Professorum facultatis, in qua est usus harum, aliarumve vocum. Atqui Aristoteles, & post eum Philosophi voce terminus, & extremum propositionis utuntur ad significandum id, de quo aliquid affirmatur, vel negatur, hoc est subiectum; & id, quod affirmatur, aut negatur, seu prædicatum. Verba Aristotelis i. Prior. C. i. sunt: Terminum voco, in quem resolvitur propositio ut prædicatum, & de quo prædicatur.

5. Quamvis enim propositio mentalis sit forsitan actus indivisibilis, & propterea non componitur physicè ex parti-

tibus, & caret initio, ac fine, adeoque extremis, neque ulli reperiuntur in ea reales, ac vulgares termini, quia tamen pluribus conceptibus exprimi possunt, quæ unico per mentalem propositionem cognoscuntur, dicitur hæc quoque componi logicè, constare terminis, & continere extrema cum copula, ad eum modum, quo rationalis anima continet eminenter, & virtualiter animas inferiores: scilicet sensitivas, ac vegetativas. Nimirum omne compositum soluta partium unione destruitur, & resolvitur. Propositio est logicum compositum ex subjecto, & prædicato invicem unitis. Itaque destructâ copulâ, quæ extrema propositionis connectit, & per verbum *est* communiter significatur, necesse est propositionem destrui, & in superstes prædicatum, ac subjectum resolvi, sicut dissoluta partium domûs unione destruitur domus, & in superstites lapides resolvitur.

6. Quæres I. Quid ergo est verbum *est*?
R. Non est propriè terminus, neque extremum, sed est medium inter duos ter-

minos, & vocatur copula, eò quòd prædicatum, & subjectum invicem copulet, & connectat.

7. Quæres 2. Cur prædicatum, & subjectum vocentur termini, & extrema propositionis? R: Quia juxta ordinem naturalem, & communem, unum initio, alterum in fine propositionis ponitur. Initium autem, & finis cujusque rei, terminus, & extremum appellari consuevit.

8. Quæres 3. An in omni propositione illa tria semper reperiantur, Subjectum, Prædicatum, & Copula? R. Ità, vel implicitè, vel explicitè. Explicitè reperitur, cum terminis expressis copula ponitur, ut in hac: Homo est animal. Implicitè verò, dum non ponitur expressè copula, aut etiam prædicatum, & subjectum, sed copula cum prædicato, aut cum subjecto simul & prædicato continetur in eadem voce. Ut in propositionibus: Petrus currit, scribo, pluit. Hæc enim vox *currit* continet in se prædicatum & copulam; duæ illæ *scribo, pluit*, continent prædicatum, subjectum, & copulam; sic enim

enim resolvuntur: Petrus est currens, ego sum scribens, cælum est pluens. Certa, & clara aded hæc sunt, ut impugnari nequeant, exercitationis tamen causâ, ac in gratiam incipientium philosophari, quos instituere nobis propositum est

9. Obj. 1. *Ly Petrus, Homo* sunt termini extra propositionem. Ergo terminus non est id, in quod &c.

R. ad 1. *Petrus, Homo* sunt potentiâ termini etiam extra propositionem, *C. A.* Sunt actu termini, *N. A. & D.* similiter *Conf.* Terminus potentiâ non est id, in quod resolvitur &c. *C. C.* Terminus actu non est id, in &c. *N. C.* *Homo, Petrus* extra propositionem non sunt id, de quo quidpiam actu affirmatur, aut negatur, sed sunt id, de quo quidpiam affirmari, aut negari potest. Idcirco extra propositionem non sunt termini actuales, sed potentiales.

10. Obj. 2. Priores sunt termini, quàm propositio, sed priora non definiuntur rectè per posteriora. Ergo termini non definiuntur rectè per propositionem dicendo, terminus est id, in quod resol-

vitur propositio. *P. maj.* Termini sunt partes propositionis, propositio est totum, sed partes sunt priores toto. Ergo.

R. ad 2. *D. maj.* Priores sunt termini ordine doctrinae, quàm propositiones *N. maj.* priores sunt quoad se, *Tr. maj.* & sic *D. min.* *N. C.* ad prob. *Ant. C. maj.* *D. eodem modo m. cum. conseq.* Propositio nobis est notior, quàm termini, sicut horologium est cuius notius, quàm ejus partes. Ordo doctrinae postulat, ut à notioribus docere incipiamus, & minus nota per notiora explicemus.

II. Obj. 3. In hac propositione: *Petrus albus est*, extremum est copula, sed copula non est terminus, ergo terminus non est extremum.

R. ad 3. *D. maj.* Extremum ordine dictionis est copula, *C. maj.* ordine cogitationis, *N. maj.* & *Conc. min. Conseq.* Quocunque ordine voces propositionem exprimentes collocemus, nusquam affirmatio, aut negatio prædicati de subjecto est id, de quo affirmatur, aut negatur aliud; neque hoc aliud, quod affirmatur, aut negatur. Proinde nusquam est extremum propositio-

sitionis , sed unio prædicati cum subje-
cto. Nam nomine extremi intelligi-
mus hic id, de quo affirmamus , aut
negamus & id, quod affirmamus, aut ne-
gamus.

12. Obj. 4. Si terminus foret extremum
propositionis , & id , in quod resolvitur
propositio , integræ propositiones es-
sent termini , sed hoc dici non potest ,
Ergo. *P. maj.* Integræ propositiones
interdum sunt extrema aliarum , & hæc
in eas resolvuntur. Sic enūciatio *Homo
est animal est prædicatio ordinata* , resol-
vitur in enūciationem, propositio *homo
est animal* , ac revera hæc est extremum
illius. Nam de hac affirmatur , quòd sit
prædicatio ordinata , ergo.

R. D. sequelam majoris. Integræ pro-
positiones materialiter sumptæ essent
termini , *C. maj.* integræ propositio-
nes sumptæ formaliter essent termini *N.
D. etiam min.* sed dici non potest ,
quòd propositiones integræ sumptæ
materialiter sint termini , *N. min.* sum-
ptæ formaliter , *C. min.* *N. C.* Proposi-
tio sumitur formaliter prout identita-
tem alterius cum altero affirmando, aut

negando alterum alteri jungit, uti hæc propositio *homo est animal* affirmando identitatem animalis cum homine conjungit hominem cum animali. Sic neque est subjectum, neque prædicatum, neque extremum, neque terminus, quia neque est id, quod affirmatur, neque id, de quo aliud affirmatur, sed est formalis affirmatio. In quantum de illa per propositionem ab objiciente adductam affirmatur, quòd sit prædicatio ordinata, sumitur materialiter, quia non spectatur, tanquam significans affirmationem alterius de altero, sed sumitur pro se ipsa, & propositio affirmans, quòd sit prædicatio ordinata, resolvitur in illam, tanquam in subjectum, adeoque illa est materia, ex qua hæc coalescit. Quod ab objiciente dictum est de propositionibus, dici potest de integris sylogismis. Nam de iis quoque plura negari, & affirmari possunt, adeoque videntur esse termini, quod sustineri nequit. Tu hæc dicenti repete datam distinctionem, ac dic: sylogismi materialiter sumpti sunt, formaliter sumpti non sunt termini, propter datam rationem. Ob-

13. Obj. 5. De copula, adverbiiis, modificationibus terminorum multa negantur, & affirmantur, sed hæc non sunt termini, ergo. *P. maj.* Verè dicitur: Copula, adverbia, modificationes non sunt prædicatum, neque subjectum, ergo.

R. ad 5. non aliter, quàm responsum est ad quartum, scilicet cum distinctione: De copula &c. materialiter sumptis plura negantur, & affirmantur *C. de copula &c. formaliter sumptis N. maj.* & sic distincta min. cum Antecedente probationis, utramque Consequent. Ratio patet ex dictis ad Num. 12. objectionem.

R. Etiam aliter *D. maj.* De copula, adverbiiis &c. sumptis signatè plura affirmantur, aut negantur *C. maj.* de copula &c. sumpta exercitè. *N. maj.* & sic *D. min.* cum ultimo anteced. utramque Conseq. Hæc sumpta signatè denotant conceptum adverbii, modificationis, & unionis inter prædicata, ac subjecta, de quo conceptu plura affirmantur, & negantur, atque idcirco est propriè terminus. Contrà, Copula, adverbia,

modificationes sumpta exercitè denotant actuale exercitium uniendi, & modificandi prædicata, ac subjecta, quòd exercitium quà talè neque est id, quod affirmatur, neque id, de quo affirmatur, sed est formalis unio prædicati cum subjecto, & alterutrius modificatio, hinc terminus dici nequit.

14. Obj 6. De copula prout est exercitium uniendi prædicatum cum subjecto negatur, quòd sit extremum, sed copula prout est exercitium uniendi sumitur exercitè, Ergo copula sumpta exercitè est terminus, si terminus est omne id, de quo aliquid negatur, sed hoc dici non potest, uti nos cum reliquis fate-mur, Ergo. Eodem modo probare posses propositiones, & sylogismos exercitè sumptos esse terminos.

R. Ad 3. *D. maj.* De copula prout est exercitium uniendi negatur, quòd sit extremum, per illam propositionem, cujus prædicatum unit cum subjecto, *N. maj.* negatur per aliam propositionem, in qua non unit prædicatum cum subjecto *C. maj. D. etiam min.* copula prout

prout est exercitium uniendi sumitur exercitè in propositione, cujus prædicatum unit cum subjecto *C. min.* in propositione, per quam de copula negatur quidpiam. *N. min. & cons.* Ratio est, quòd copula, propositio integra, aut syllogismus in propositionibus, per quas de copula, propositione &c. quidpiam affirmatur, aut negatur, sunt materia, ex qua coalescunt propositiones de iis quidpiam affirmantes, aut negantes. Hinc in iis propositionibus non sumuntur exercitè, neq; formaliter, sed materialiter, & signatè.

15. Obj. 7. Copula non solum unit in propositione prædicatum cum subjecto, sed etiam differentiam temporis, ac identitatem, aut distinctionem jam realem, jam fictam enunciat, Ergo exercitè, ac formaliter sumpta est prædicatum.

R. Ad 7. *Tr. Ant. D. conseq.* est prædicatum, prout præcisè unit extrema propositionis, *N. C.* prout est quidpiam diversum ab unione prædicati cum subjecto *C. C.* non disceptamus, num copula sit terminus, si diversum ab unio-

ne prædicati cum subiecto munus in propositione obeat. Negamus duntaxat, copulam esse terminum, quatenus in propositione prædicatum unit subiecto.

16. Obj. ult. Terminus, perinde ac cætera, debet definiri per prima, & notissima sua prædicata, sed esse id, in quod resolvitur propositio, non est primum, & notissimum prædicatum termini, Ergo terminus non bene definitur, esse id, in &c. *P. min.* Prius est esse constitutivum, aut extremum propositionis, quàm esse id, in quod resolvitur propositio, sicut prius est rem componi, ac extrui, quàm resolvi, & destrui. Pariter ratio constitutivi, & extremi notior est, quàm ratio ejus, in quod resolvitur propositio, Ergo.

R. Ad 7. *D. maj.* Debet definiri per prima, & notissima prædicata, dum definitur definitione rigorosa, *C. maj.* dum merè describitur, *N. maj.* & *transmissa min. cum Antec probationis, N. utramque Conseq.* Hic nobis curæ non est rigorosa definitio, sed descriptio termini, seu sit à priori, seu à posteriori-
dum.

dummodo tyronibus Philosophiæ ponat clarè ob oculos ejus naturam, quod Aristotelica termini definitio satis præstat. Neque damnamus eos, qui terminum vocant constitutivum, aut extremum propositionis, verum enim dicunt. An ratio constitutivi & extremi, an ratio ejus, in quod resolvitur propositio, tyronibus notior sit, incertum est. Respectu intelligentium, quid sit constitutivum, quid illud, in quod resolvitur propositio, satis declaratur natura termini, sive dicamus, quòd sit constitutivum, aut extremum propositionis, sive quòd sit id, in quod resolvitur propositio.

ARTICULUS II.

De Divisione Terminorum.

17 **D**ividitur in primis terminus in subjectivum, & objectivum. Subjectivus est conceptus mentis, & signum externum res affirmatas, aut negatas, & id, de quo fit affirmatio, aut negatio, repræsentantes. Sic cùm dicimus: *Homo est animal*, termini subjectivi

ctivi sunt conceptus mentis, & voces *homo, animal*, exprimentes *hominem ac animal*. Termini objectivi sunt *homo, & animal*.

Dividitur rursus terminus in mentalem, vocalem, & scriptum. Nam propositio, quæ conficitur ex terminis, prius concipitur mente, deinde vocibus expressa, characteribus exaratur. Itaque termini mentales sunt mentis conceptus; vocales sunt voces ore prolatae; scripti sunt voces characteribus exaratae, id, quod affirmamus, aut negamus, & id, de quo affirmamus, & negamus, repræsentantes.

18. Terminus vocalis dividitur in significativum, & non significativum. Significativus est vox liberè assumpta ab hominibus ad significandas res à se distinctas. e. g. *Lapis, homo*. Itaque terminus significativus est vox significativa ad placitum, dū quæstio est de termino generatim, & impropriè sumpto. Terminus significativus, & propriè sumptus est vox significativa ad placitum, ex qua componitur propositio. Terminus non significativus est vox, quæ non

non est assumpta ad significandum quidpiam à se distinctum, quæ proinde nihil significat, ut *Blictri, sindapsis*.

19. Obj. I. Si voces ex sua natura significant res, voces non sunt signa ad placitum, sed ita est, Ergo. *P. min.* Si rebus suum nomen competit, antequam assumantur ab hominibus ad significandas, tunc voces ex sua natura significant res, sed ita est, Ergo. *P. min.* Si voces habent naturalem, ac mechanicam proportionem cum rebus significatis, & homines laudantur, quòd imposuerint rebus sua nomina, tunc rebus suum nomen competit, antequam voces assumantur ad significandas, sed voces habent dictam proportionem, ut agnoscit Neumannus, & Adamus in Scriptura laudatur, quòd appellaverit animantia cuncta nominibus suis, Ergo.

R. C. maj. N. min. Ad pr. potest negari *maj.* Tametsi enim voces haberent quandam proportionem cum rebus significatis, ea non foret à nobis cognoscibilis. Quare propter eam voces nobis nihil significarent. Potest etiam *transmissa maj. neg. min.* Nam illa naturalis pro-

proportio vocum cum rebus significatis agnita à Neummanno , & quibusdam aliis plus habet imaginationis , quàm veritatis , & Adamus laudatur , quòd imposuerit animantibus nomina non nimis longa , aut difficilis pronunciationis . Dicit etiam potest , ac debet , quòd vocaverit animantia *nomnibus* consecutivè , non anticipativè *suis* , hæc enim nomina post assumptionem sunt propria , & sua cujusvis animantis ; non erant propria , & sua ante assumptionem ; nam quo nomine nunc appellatur Leo , potuit appellari Ursus , quia vox Leo potuit assumi ad significandum Ursum .

20. Obj. 2. Vox , quæ nihil significat , nequit esse extremum propositionis , neque consideratur à Logica , Ergo non est terminus . *P. Ant.* Vox , quæ nihil significat , nullas habet proprietates , nullas suscipit denominationes , nihil de ea affirmari potest , neque est utilis ad ullam propositionem scientificam ; sed ejusmodi vox nequit esse extremum propositionis , neque consideratur à Logica , Ergo . *P. maj.* Vox quæ nihil significat , est non ens , sed non entis nullæ

nullæ sunt proprietates; non ens nullum significat objectum scibile; hinc non est utile ad ullas propositiones scientificas, neque consideratur à Logica, nimirum ea solum considerante, quæ sunt utilia ad obtinendas alias scientias, Ergo.

R Ad 2. *N. A.* ad prob. *N. maj.* ad pr. *N. maj.* Quamvis enim terminus non significativus non significet ullum ens à se distinctum, est tamen ipsemet aliquod ens, nempe vox, quæ significat naturaliter se ipsam, & ejus consideratio servit ad declarandam naturam vocum; unde meretur considerari à Logica, & Logicis.

21. Obj. 3. Vox, quæ nihil significat, aliquid significat, sed voces, quas dicimus terminos non significativos, nihil significant, uti fatemur, Ergo termini non significativi malè dicuntur nihil significare; malè negantur esse significativi. *P. min.* Vox nihil aliquid significat, quia nihil, seu carentiam rei significat. Deinde qui pronuntiat terminos *blictri*, *sindapsis*, quos dicimus non significativos, significat se loqui
sine

finè significatione , quod finè dubio est aliquid significare , Ergo.

R. Ad 3. *D. maj.* Vox , quæ positivè nihil significat , aliquid significat , *C. maj.* Vox , quæ negativè nihil significat , aliquid significat , *N. maj.* & sic dist. *min. Conf.* Ad pr. *D. Antecedentis rationem.* Vox nihil aliquid significat , quia positivè nihil significat *C.* quia negativè nihil significat , *N.* rationem cum altera antecedentis parte. Vox nihil est assumpta ab hominibus ad significandam rerum carentiam , & idè dicitur positivè , seu ex beneplacito , & assumptione hominum in signum , significare nihil. Vox *blictri* non est assumpta ad significandum nihil , aut carentiam rerum ; neque ad hoc , quòd non significet. Idcirco negatur positivè significare nihil ; admittitur negativè significare nihil , id est , admittitur , non esse assumpta ad significandum , & idcirco non significare. Hinc advertete ; aliud est , vocem aliquam non significare ; aliud significare carentiam rerum , seu nihil. Primo modo loquendi negatur assumptio
vocis

vocis ad significandum, adeoque significatio. Altero modo admittitur significatio, & dicitur, quòd res significata per vocem, & terminus illius, sit carentia rerum. Adverte 2dò. terminos non significativos potuisse, & etiamnum posse assumi ad significandum. Unde non sunt significativi actu, sunt significativi potentiâ,

ARTICULUS III.

De Termino categorematico, syncategorematico, & mixto.

22. **D**ividitur primò terminus in categorematicum, syncategorematicum & mixtum. Uterq; dicitur à verbo græco, quod significat *prædico*: quare primus sonat idem ac prædicativus, seu significativus. Secundus quia habet particulam *simul*, significat idem ac *comprædicativus*, seu *consignificativus*. Quare est potius modificatio primi, quam terminus propriè, & per se; eò quòd adjunctus termino categorematico illius significatationem modificet, illam extendendo, vel contrahendo, ut sunt omnes

omnes voces significantes universalitatem, particularitatem, numerum : v.g. *omnis, nullus, aliquis, alter, neuter, alteruter: uterque*, & alia nomina numeralia.

23. Terminus categorematicus, siue categorema est, qui est vel subiectum, vel prædicatum propositionis, ut in hac: *Homo est animal*, utrumque & *homo* & *animal* est categorema.

24. Terminus Syncategorematicus, siue Syncategorema, est vox, quæ neque est prædicatum, neque subiectum propositionis, alterutri tamen addita, certum significandi modum tribuit, ut in hac: *Omnis homo est animal*, *ly omnis* est syncategorema, quia neque est subiectum, neque prædicatum, subiecto tamen additum, facit, ut illud universaliter significet, & capiatur.

25 Aliter: terminus categorematicus est, qui adhuc, quando est solus, habet perfectam significationem, ut hic terminus: *homo*; syncategorematicus, qui dum solus est, non habet perfectam significationem; illa tamen fruitur, si adjungatur alii termino, v.g.
omnis;

omnis, nullus, aliquis, quisque, quidam, quidam non, &c. Item nomina adjectiva; hinc fit, quòd multæ propositiones aliàs veræ, evadant falsæ, aut vice versa, ratione adjuncti syncategorematis. v. g. *homo est albus*, potest esse verum, *homo necessario est albus*, necessario est falsum.

26 Ubi acuratissimè notanda est horù syncategorematum *appellatio*, id est, unio; sive societas, quam syncategoremata habent cum terminis propositionis; passim enim contingit, quòd idem syncategorema cadens, seu appellans supra unum terminum faciat propositionem veram, appellans verò, seu cadens supra alium reddat propositionem falsam: cujus ratio est; quoties mutatur sensus propositionis, potest mutari veritas, aut falsitas: sed quoties mutatur appellatio terminorum, mutatur sensus propositionis, ut patet in his: *Petrus albus est Monachus, Petrus Monachus est albus*; quarum prima significat Petrum esse album, secunda verò esse albas vestes Monachales,

B

quas

quas induit, (quæ significationes sunt valde diversæ.) *Ità Ulloa.*

Porrò inter Syncategoremata principem locum obtinent ea, quæ vocantur signa. Horum autem signorum quædam sunt affirmativa, ut *omnis, quidam*, quædam negativa, ut *nullus, quidam non*. Item alia sunt universalia, ut *omnis, nullus*, alia particularia, ut *quidam, quidam non*. Vocantur verò signa, quòd ex iis intelligamus, quanta sit aliqua propositio, sive an sit universalis, an particularis. Item qualis sit propositio, sive an sit affirmativa, vel negativa. *Ità Corneus.*

27. Hurtad. contendit omnia nomina adjectiva esse terminos syncategorematicos, quia non significant per se, sed consignant: v. gr. *bonus*, non significat determinatè, nisi addatur alicui: v. g. *Petrus bonus*. Alii verò Summulistæ communiter censent solum assignatos supra esse terminos syncategorematicos: reliqua verò nomina adjectiva esse terminos connotativos, de quibus infra. Ego verò mediâ viâ incedendum arbitror, & dici posset omnia adjecti-

va esse terminos syncategorematicos non ità strictè, quia licèt indeterminate aliquo modo significant, afferunt tamen aliquam determinationem, saltem ratione formæ significatæ: v. g. *albus* importat albedinem. Quod inde rursus colligitur, quia nomina adjectiva possunt saltem esse prædicatum in propositione: v. g. *paries est albus*.

28. Collige breviter, sola nomina substantiva esse propriè terminos categorematicos. Dixi sola nomina, quia verba propriè loquendo non sunt termini in isto rigore, & si quando sunt extrema propositionum: v. g. *Petrus amat*, sunt talia, ratione nominum, quæ subintelliguntur, scilicet: *est amans*. Reliqua verò nomina esse terminos syncategorematicos modo explicato.

29. Terminus mixtus est, qui categorema simul & syncategorema continet, ut *nemo*, *nunquam*. Nam prius est idem atq; nullus homo, posterius nullo tempore.

30. Addunt alii terminum mixtum ex categoremate, & syncategoremate, qualia sunt adverbia: v. g. *sapienter*, *doctè*.

Item casus obliquos : v. g. *Platonis* &c.
 Sed ut verum fatear , adverbia non sunt
 termini syncategorematici , tum quia
 non sunt nomina , tum quia non sunt ad-
 jectiva , qualia debent esse nomina syn-
 categorematica. Casus obliqui exclu-
 duntur à ratione termini syncategore-
 matici , quia non sunt nomina , sed ca-
 sus nominum. Si quis tamen enixè ve-
 lit esse terminos syncategorematicos
 adverbia , quia non habent determina-
 tam significationem , ut etiam casus obli-
 quos , quia neq; ii determinatum sensum
 pariunt , non est multum cum eo con-
 tendendum ; nam quæstio est de voce ;
 solum enim nunc dicimus in communi
 usu loquendi adverbia non esse termi-
 nos , quia non sunt nomina ; item ca-
 sus obliquos non esse terminos , quia nec
 sunt categorematici , cum non pariunt
 sensum perfectum , nec syncategorema-
 tici , quia tales termini sequuntur natu-
 ram termini categorematici in ordine ,
 ad quem significant , qui cum perfe-
 ctum sensum non pariunt secundum ca-
 sum obliquum , deficient à perfecta
 ratione termini.

31. Obj. I. cont. N. 22. Term. *omnis* se solo significat, & constituit subjectū, sed terminus *omnis* est syncategorematicus, ergo terminus syncategorematicus non minus quàm categorematicus se solo significat, & constituit subjectum. Ergo syncategorematicus malè dicitur ille, qui se solo non significat, neque constituit prædicatum, aut subjectum. P. maj. Quando dico: *omnis* est adjectivum, ly *omnis* est se solo subjectum, & significat aliquid. Ergo.

R. D. maj. Terminus *omnis* materialiter sumptus se solo constituit subjectum, C. maj. formaliter sumptus, N. maj. & C. min. D. eodem modo Consequens. *Omnis* se solo significat se ipsum, seu vocem, adeoque sumitur in vim vocis, non in vim adjectivi, quia non adjungitur alteri. Idèd sumitur materialiter pro nuda voce, & quâ tale est terminus categorematicus. Non sumitur formaliter, hoc est, non adjungitur alteri termino e. g. *homini* faciendo eum aliter significare, quâ ratione dicimus eum esse terminum syncategorematicum.

32. Obj. 2. Hæc vox *omnis* est imposita ad significandum hoc ipsum, scilicet non significare determinatè, ergo est terminus categorematicus.

R. N. A. Imò hoc est solùm significatum materiale: nam formale est omnino indeterminatum; significat enim hanc, vel illam rem vagè, quare habet solùm indeterminatè, seu indeterminato modo significare, quatenus de nulla re determinatè dicatur hæc vox *omnis*, id est, de nullo ità dicitur, ut non possit dici de aliis.

ARTICULUS IV.

De Divisione Termini Categorematici.

33. **T**erminus categorematicus alius est communis, alius singularis. Communis est ille, qui plura significat, de quibus potest singillatim prædicari, ut hæc vox *homo*, quia plura significat, nempe Perrum, Paulum &c. de quibus potest prædicari singillatim, dicendo: *Petrus est homo*. Terminus singularis est ille, qui unum tantum significat, ut hæc vox *Petrus*. Proinde terminus
com-

communis significat rem pluribus communicabilem, ut *homo*, sunt enim plures homines.

34. Terminus singularis, qui significat rem singularem, non communicabilem pluribus, ut *Deus*, quia non sunt plures Dii, & *Alexander Macedo*, quia non sunt plures Alexandri Macedones. Ita *Corneus*.

35. Rursus terminus communis dividitur in Univocum, Æquivocum, & Analogum. Univocus est, qui significat rem verè convenientem multis, ità ut in illis multiplicetur (& per hoc differt à termino *Deus*, qui licet significet Deitatem identificatam cum tribus Personis, non tamen sunt tres Dii) sed non aperit ipsorum multipliciter, v. g. hic terminus *homo*, qui significat naturam humanam, quæ utique est multiplex, sed attenda illa sola voce non discernimus, sint nec nè multi homines. Terminus Æquivocus est, qui significat *plura ut plura*; quia cum sit unus, significat res diversas diversis convenientes, v. g. hic terminus *Gallus*, qui cum sit unus, significat res valde

diversas, nempe hominem cujusdam regionis determinatæ, & etiam Marem Gallinaceum. Terminus Analogus est, qui significat plura *partim ut eadem*, id est ut similia, *partim ut diversa*, id est, ut dissimilia. *Ità Ulloa.*

36. Dialectici vocant terminum univocum, univocum univocans, rem verò per terminum univocum significatam dicunt univocum univocatum. Hinc Aristoteles l. Categor. c. 2. bene dicit: Univoca sunt, quorum nomen commune est, id est, quæ eodem termino, & voce indigitantur; ratio verò substantiæ, id est, definitio, sive significatio rei; nomini accommodata eadem est.

37. Terminus æquivocus pluribus tribuitur diversa ratione, & significatione. ut nomen *Gallus*, quod tribuitur & homini, & avi, sed planè diversa significatione. Nam cum de homine dicitur, significat animal rationale in Galliis natum; cum de ave, significat brutum, sive avem cristatam cucuritivam. Eodem autem modo, uti de univocis dictum, terminus æquivocus

cus

cus dicitur vulgò æquivocum æquivo-
cans, res verò per terminum indigitata,
æquivocum æquivocatum. Aristote-
les in Categor. ità definit ea: Æqui-
voca sunt, quorum nomen solùm com-
mune est, ratio verò substantiæ, id est,
rei per terminum signatæ definitio, no-
mini accommodata diversa.

38. Analoga ex Arist. l. 4. Metaph.
c. 2. ità definiuntur: Analoga sunt,
quorum nomen commune est, ratio ve-
rò substantiæ partim eadem, partim di-
versa.

39. Item Terminus singularis & com-
munis dividitur in collectivum, deter-
minatum, & indeterminatum. Termi-
nus collectivus plura significat sub una
collectione, ut: *Populus, Civitas, Do-
mus*, & alia id genus.

40. Terminus determinatus est ille,
qui unum determinatè significat, ut *Pe-
trus*, qui significat hunc hominem de-
terminatum: unde sequitur terminum
singularem latiùs patere: quàm termi-
num determinatum, quia quilibet de-
terminatus est singularis, quilibet verò

singularis non est determinatus. Sic Deus est terminus singularis, non determinatus. Terminus indeterminatus, sive vagus est ille, qui unum indeterminatè significat, ut *aliquis homo*: audito enim aliquem hominem in foro ludere, statim intelligis unum hominem ludere, sed nondum intelligis, quis ille sit, qui ludit, Petrusne, an Paulus.

41. Hinc terminus determinatus infert indeterminatum, qui enim in hunc modum arguit: *Petrus currit, ergo aliquis homo currit*, optimè arguit, quia verum est, currente Petro aliquem hominem currere, è contrario terminus indeterminatus non infert determinatum, quia non bene arguit, qui arguit, Petrum currere, ed quòd aliquis homo currat, cum possit contingere, ut Petro non currente Paulus currat.

42 Obj. i. cont. N. 33. *Sol, Phœnix* sunt termini cõmunes, sed hi non dicuntur de pluribus. Ergo terminus communis non est, qui dicitur de pluribus. *P. min.* Plures uno soles, aut Phœnices non dantur. Ergo.

R. ad i. *C. maj. D. min.* Hi non dicuntur

cuntur de pluribus actu existentibus, *C. min.* de pluribus possibilibus, *N. mi.* & *conf.* Dico, & Soles, & Phœnices plures esse posibles, de quibus cum veritate non minù, quàm de actu existente Sole, & Phœnice Sol, & Phœnix dicuntur.

43. Obj. 2. Deus dicitur de pluribus, sed Deus non est terminus communis, ergo terminus communis non est, qui &c. *P. maj.* Deus dicitur de Patre, Filio, & Spiritu S. Sic Pater est Deus, Filius est Deus &c. sed Pater, Filius, & Spiritus S. sunt tres Personæ. Ergo.

R. ad 2. *D. maj.* dicitur de pluribus cum rei per terminum Deus significatæ multiplicatione reali, *N. maj.* sinè reali multiplicatione, *C. maj.* & *C. min.* ac sic dist. Ant. probationis *N* utramq; *C.* Licèt Deus prædicetur de pluribus personis, natura tamen divina per prædicatum *Deus* significata non multiplicatur in pluribus ad eum modum, quo natura humana per terminum *homo* significata multiplicatur in Petro, Paulo &c. de quibus prædicatur. Atqui istiusmodi multiplicatio requiritur ad rationem termini communis. Obj.

44. Obj. 3. Petrus, Paulus dicuntur de pluribus, sed neque Petrus, neque Paulus sunt termini communes. Ergo terminus communis non est, qui &c. Patet *maj.* Plures enim novimus tum Petros, tum Paulos, & dicere possumus tum hic, tum ille homo est Petrus.

R. ad 3. *D. maj.* dicuntur de pluribus sub eadem ratione Petreitatis, Pauleitatis significata per ea nomina, *N. maj.* sub diversa ratione *C. maj. cum min. N. C.* Dicendo cum veritate, hic est Petrus, affirmamus Petrum, & Petreitatem, diversam à Petro, & Petreitate affirmatis, dum dicimus: ille est Petrus. Hinc dici potest, quòd *Petrus* comparatione hujus, ac illius hominis sit quasi terminus æquivocus. Ubi adverte terminum singularem esse incapacem, ut ipsi adjungantur immediate ullum ex eis signis, *omnis, nullus, aliquis*, aut quodvis aliud multitudinem significans; unde fit, quòd non nisi falsa suppositione dicatur, *omnis Deus, nullus Deus, aliquis Deus, uterque Deus, neuter Deus, alter Deus.*

Obj.

45. Obj. 4. contra Num. 35. *Turba, populus, acervus, & alia hujusmodi significant plura ut plura, & tamen non sunt termini æquiv. ergo malè dicitur terminus æquivoc. significare plura ut plura.*

R. Significant plura ut plura copulativè, seu collectivè, C. divisivè, seu distributivè, N. Terminus enim æquivocus, cum significet plura, debet convenire singulis illis pluribus: *turba autem &c. non convenit singulis hominibus constituentibus turbam.*

46. Obj. 5. Si terminus univocus, æquivocus, & analogus non distinguuntur, terminus communis non dividitur in univocum, æquivocum & analogum; sed non distinguuntur. Ergo. Patet *maj.* Nam divisio debet fieri in membra opposita, adeoque distincta. *P. min.* Si terminus æquivocus, & analogus dicuntur de pluribus, in quibus ratio significata per terminos æquivocum, & analogum non est diversa, sed eadem, tunc terminus univocus, æquivocus &c. non distinguuntur, sed ita est. Ergo. *min.* patet, nam verè dicimus: terminus Gallus est æquivocus, terminus ca-

nis est æquivocus, terminus sanum est analogus, terminus risus est analogus, & ratio significata per *terminum æquivocum* in Gallo, & cane, per analogum in sano, & risu est eadem. Quippe terminus canis perinde ac terminus Gallus est æquivocus, sicut Petrus ac Paulus est homo. Idem puta de terminis sano, & risu.

R. ad 5. *D. maj.* Si termini univocus &c. sumpti signatè non distinguuntur, terminus communis non dividitur in univocum *T. maj.* si sumpti exercitè non distinguuntur, terminus communis non dividitur in univocum &c. *C. maj.* & sic *D. min. N. C.* Termini æquivocus, analogus sumpti exercitè sunt termini Gallus, canis, risus, sanum prout significantes plura, in quibus ratio significata est diversa, aut partim eadem, partim diversa. Hac ratione termini æquivoci ab univocis, & analogis toto, ut ajunt, cœlo differunt. Termini æquivocus &c. sumpti signatè sunt illi ipsi termini Gallus, canis, &c. prout cogniti, & per voces æquivocus &c. significati plura significare, ità ut ratio
per

per eos significata in pluribus non sit eadem. Unde fit, quòd hi termini *equivocus*, & *analogus*, dicantur de pluribus e.g. Gallo, cane, fano, risu, & ratio per eos significata sit eadem in Gallo &c. non sequitur tamen, quòd termini *equivocus*, *analogus* significant id, quod significat terminus univocus, ut patet ex data eorum expositione. Num. 35.

47. Obj. 6. Ex dictis sequitur, quòd termini *equivocus*, & *analogus* dicantur de pluribus, & ratio per illos significata sit in his eadem, sed termini univoci sunt, qui dicuntur de pluribus, & ratio per illos significata est in his eadem. Ergo.

R. 6. D. A. Sequitur, quòd termini *analogus*, & *equivocus*, qui signatè significant alios, à quibus significata ratio reperitur in pluribus planè diversa, aut partim diversa, partim eadem, sequitur, inquam, quòd sint univoci, C. A. sequitur, quòd termini singulares significati per hos terminos *analogus*, *equivocus* sint univoci N. A. & C. Nam propterea quòd ratio significata
per

per terminum *equivocus* sit eadem in termino canis, & Gallus, non sequitur, quòd per terminum *canis* ratio significata sit eadem in cane terrestri, & cœlesti, hoc est, in stella, quæ vocatur canis. Proinde termini æquivoci & analogi signatè, hoc est termini *equivocus*, *analogus* sunt re ipsa univoci, & secundùm dici sunt æquivoci, ac analogi. Contrà termini analogi, & æquivoci exercitè, hoc est termini canis, Gallus, sanum non sunt æquivoci.

48. Obj. 7. Terminus Gallus est æquivocus respectu galli gallinacei, & Galli hominis, Tam Gallus homo, quàm gallus gallinaceus est substantia, & animal. In utroque ratio substantiæ, & animalis est eadem. Ergo termini æquivoci sunt simpliciter univoci.

R. ad 7. *D. ultimam par. Ant.* In utroque ratio animalis, & substantiæ est eadem, non significatur tamen per nomen Gallus, *C. A.* est eadem, & significatur per nomen Gallus, *N. C.* Satis non est aliquam rationem esse in pluribus eandem, ut terminus hæc plu-

ra significans sit univocus. Requiritur præterea, ut ratio pluribus communis & eadem significetur per terminum. At terminus Gallus neque substantiam, neque animal gallinacei maris, aut Franci hominis significat.

49. Obj. ult. Terminus homo est univocus simul & æquivocus. Ergo. *P. A.* Terminus homo dicitur de Petro & Paulo, ratio verò significata per eum est in Petro & Paulo eadem. Dicitur etiam de pictura & imagine hominis; in imagine hominis & Petro, ratio significata non est eadem. Nam homo significando Petrum significat animal rationale, significando picturam significat dispositionem colorum. Ergo.

R. ad ult. D. A. est univocus & analogus respectu diversorum *C. A.* respectu eorundem significatorum *N. A. & C.* Terminus homo est univocus respectu Petri Pauli. Respectu horum & picturarum est æquivocus, quin à se ipso diversus. Neque in eo est repugnantia, sicut duos inter medius est dexter, & sinister respectu diversorum,

ac proinde à se ipſo diverſus, ſinè re-
pugnantia.

50. Ad extremum nota è Soto apud
Caſilium, æquivocationem eſſe ſolùm
in voce, cùm in mente non ſit idem
conceptus rerum diverſarum, quæ ap-
pellantur unico nomine; illarum enim
tantùm eſt unicus conceptus, quæ ha-
bent aliquam ſimilitudinem inter ſe, ad
quam attendens intellectus elicit uni-
cam cognitionem repræſentantem di-
ſtinctè illa plura ſecundùm eam rationè,
e. g. videns intellectus ſimilitudinem,
quæ eſt inter Petrum, & Paulum in ra-
tione hominis, format unicum con-
ceptum repræſentantem illos diſtinctè,
ſecundùm hanc rationem hominis, con-
fuſè verò Petreïtatem, & Pauleïta-
tem, per quas differunt.

ARTICULUS V.

*De aliis termini cõmunis, & ſingula-
ris Diviſionibus.*

51. **T**um cõmunis, tum ſingularis ter-
minus dividitur in ſimplicem, &
complexum. Simplex eſt, qui non eſt
com-

compositus ex pluribus, ut *homo*. Complexus est, qui componitur ex pluribus, ut *homo bonus*. Triplici autem modo terminus simplex esse potest. 1. Voce tantum, cum vox est simplex, sed non significatio, e. g. *Nemo*, quod significat duo, nimirum, nullum hominem. 2. Significatione tantum, cum voces plures sunt, sed significatio simplex. e. g. *animal rationale*, quod significat hominem. 3. Voce, & significatione simul, quando & vox, & significatio una est, ut *homo*.

52. Eadem omnino ratione tripliciter complexus esse terminus potest. 1. Voce tantum, ut *animal rationale*. 2. Significatione tantum, ut *nemo*. 3. Voce & significatione simul, ut *Maria mater gratiæ*. Observandum autem est, præcipuè hinc attendi significationem, adeo, ut ille terminus simpliciter, & absolutè dicatur simplex, vel complexus, qui significatione est simplex, vel compositus.

53. Dividitur item terminus in concretum, & abstractum. Concretus est, qui formam, & subjectum significat, ut
al-

album. Nam hæc vox *album* significat, *aliquid habens*: ecce subjectum, *albedinem*, ecce formam. Subjectum vocatur hic id, quod denominationem, & appellationem ab altero capit, ut *lac*, quod denominatur *album*, & dicitur importari in recto. Forma hic dicitur omne illud, quod denominationem alteri tribuit, ut *albedo*, quæ *lac* denominat *album*. Est autem duplex talis forma, alia intrinseca, alia extrinseca. Forma intrinseca est, quæ est in subjecto, quod denominat, ut *albedo* est in lacte, quod denominat *album*. Extrinseca est, quæ non est in subjecto, quod denominat, ut *visio*, quæ non est in pariete, quem tamen denominat *visum*. Ex quo facilè apparet, fieri posse, ut eadem forma, respectu diversorum subjectorum sit intrinseca, & extrinseca. Exemplum esto in eadem visione, quæ oculo est intrinseca, eúmque denominat *videntem*, parieti verò est extrinseca, eúmque denominat *visum*.

54. *Rectus*, & importari *in recto*, vel *ut quod*, hæc enim pro eodem sumuntur, in sensu scholastico non merè grammata-

matico dicitur : tum id , cujus identi-
 tas affirmatur , aut negatur cum alio ;
 tum id , cum quo identitas affirma-
 tur , aut negatur. Ex aduerso *obli-*
quus . & importari *in obliquo* dicitur il-
 lud , cujus identitas neque affirmatur ,
 neque negatur , importatur tamen ex
 parte prædicati , vel subjecti , inter-
 dum tanquam pars concreti , ex ipso ,
 & ex eo , quod dicitur importari in recto
 constituti , interdum velut modificatio
 prædicati , aut subjecti. Sic in hac enun-
 ciatione : Petrus Philosophus est albus ,
 prædicatum ut *quod* , & *rectus* prædi-
 cati , est *qui habet albedinem* , seu cui
 albedo est unita ; subjectum ut *quod* ,
 seu *rectus* subjecti est *Petrus* . Contra
 prædicatum ut *quò* , & *obliquus* est al-
 bedo , ac Philosophia , quia ejus , qui
 habet sibi unitam albedinem , identitas
 affirmatur cum Petro Philosophiam cal-
 lente , albedinis autem identitas neque
 cum Petro , neque cum Philosophia af-
 firmatur ; sed albedo , & Philosophia
 constituit cum Petro ex parte subjecti ,
 & prædicati *in recto* importati concre-
 tum *albus* , & *Philosophus* . Sic in hac
 alia

alia enunciatione: à Petro amatur Deus, in sensu scholastico neque Petrus est obliquus, neque Deus est rectus, sed potius Deus est obliquus, Petrus est rectus, quia illa enuntiatio facit hunc sensum: Petrus est amans Deum, in qua affirmatur identitas eius, qui cum Petro amat; at hic non est Deus.

55. Terminus abstractus est, qui solum formam significat, & non subiectum, ut albedo, sapientia, bonitas &c.

56. Dividitur adhuc terminus in connotativum, & absolutum. Connotativus est terminus concretus, qui præter subiectum significat formam adjacentem, id est, significat formam accidentalem, & est nomen adjectivum, vel saltem significat more adjectivorum. Tale est in primis ly *album*, quod significat albedinem parieti accidentaliter advenientem. Tale etiam est ly *Pater*, *Rex*, *Dominus*, quæ licet sint nomina substantiva, significant tamen more adjectivorum formam quandam accidentalem v. g. paternitatem, regalitatem, dominatum, subiecto substantiali supervenientem, & adjacentem. 57.

57. Terminus absolutus est, qui non significat formam adjacentem, neque per modum adjectivi, sed per modum substantivi, & per se stantis, ut homo, animal, item albedo.

58. Quæres 2. Quomodo differat terminus concretus, & connotativus?

R. Differunt in hoc, quòd concretum latius pateat, quàm connotativum. Nam omne connotativum est concretum, sed non contra: dantur enim concreta absoluta, quæ subiectum quidem, & formam significant, non tamen adjacentem, sed per se stantem, ut homo, quod significat, habens humanitatem. At humanitas non est forma adjacens homini, aut accidens hominis, sicut albedo, sed est forma per se stans, & hominem in ratione hominis per se primò substantiàliter constituens.

59. Possunt etiam termini variè dividi juxta comparisonem ad se invicem factam. Quatuor autem modis potissimum inter se comparari possunt.

1. ut repugnantes.
2. ut convertibiles.
3. ut

3. ut magis & minus communes. 4. ut
excedentes, & **excessi**. *Termini re-*
pugnantes sunt, qui de se invicem uni-
 versaliter negari possunt, ut homo, &
 brutum. Verum enim est dicere, quod
 nullus homo sit brutum, & quod nul-
 lum brutum sit homo. *Convertibiles*
 sunt, qui de se invicem universaliter
 affirmari possunt, ut homo & risibilis.
 Licet enim dicere: omnis homo est ri-
 sibilis, & omne risibile est homo. *Ma-*
gis & minus communes sunt, quorum
 unus de altero universaliter affirmari
 potest, sed non contra, ut homo, &
 animal. Hic enim magis communis, &
 universalior est, quam ille. Nam li-
 cet dicere: Omnis homo est animal,
 sed non contra: Omne animal est ho-
 mo. *Excedentes, & excessi* sunt, quo-
 rum neuter de altero universaliter affir-
 mari, vel negari potest, sed tantum
 particulariter, ut homo, & albus. Li-
 cet enim tantum dicere: quidam ho-
 mo est albus, & quoddam album est
 homo. Atque hæc duo se invicem
 excedunt, quia datur aliquid album,
 quod non est homo, nimirum lac, &
 in

in hoc album excedit *ly homo* ; & datur aliquis homo , qui non est albus , nempe *Æthyops* , & in hoc homo vicissim excedit album.

60. *Terminus copulativus* est , qui plura in recto , sed in unum per accidens aggregata significat , ut exercitus. *Terminus finitus* , vel *finitans* est , qui aliquid determinatè significat , ut homo. *Terminus infinitans* , vel *infinitus* est , qui aliquid determinatè negat , sed nihil determinatè affirmat , sed indeterminatè tantum , ut non lapis , quod potest dici de qualibet te , excepto lapide , in infinitum. Ubi

61. Nota tamen , ut terminus sit infinitans , debet *ly non* cadere super nomen , & non super verbum , quia si cadat super verbum , facit propositionem purè negativam , ut si dicas : Petrus non est lapis. Atqui infinita propositio aliquid saltem indeterminatè affirmat , ut si dicas : Petrus est non lapis , vel , non lapis est homo.

62. Hinc cum Casilio nota dupliciter sumi *ly non* , *neganter* , & *infinitanter*. Primo modo cum negatio ponitur

ante copulam immediatè, v. g. *Petrus non studet*. Secundo modo cum negatio ponitur immediatè ante subiectum, vel post copulam ante prædicatum, v. g. *non homo currit*; sensus est, quòd aliquid, quod non est homo, currat. Item *homo est non lapis*; sensus est, quòd homo sit aliquid, quod non est lapis. Et primo modo sumpta negatio facit propositionem negativam, secundo modo affirmativam. Dicitur autem talis terminus infinitus, seu infinitatus, quia termini suppositionem ampliat in infinitum excepto illo significato, quod exprimitur per talem vocem. Potest infinitari tam subiectum, quàm prædicatum modo dicto.

63. Demum adverte terminum infinitatum licèt distribuat, aut neget omne significatum vocis, quàm exprimit, v. g. in exemplo allato negat omnem rationem hominis: non tamen distribuere pro omni eo, pro quo supponit, quare cum dico: *non homo*, non æquivalet huic, scilicet, *omne, quod non est homo*; sed huic, scilicet, *aliquid, quod non est homo*, vagè acceptum;

ptum ; ità ut extendatur etiam ad negationes, & privationes aliarum rerum, & ad quodcunque aliud ens : nam pro omni eo supponit, vagè tamen, ly *non homo*, de quo potest dici, quòd non sit homo : pro quibus omnibus ità supponit terminus infinitus, ut si habeat annexum signum distributivum, *omne* supponat distributivè pro singulis sive sint entia, sive non entia excepto significato vocis : si verò non habeat tale signum, æquivalet termino particulari, & non supponat distributivè, sed disjunctivè, & explicatur per particulam *vel*, v. g. *non homo est lapis*, non est sensus : *omne, quod non est homo, est lapis*, ità ut possit dici distributivè ; & equus est lapis ; & cælum est lapis, & cætera sunt lapis : sed solum sensus est : *aliquid, quod non est homo, est lapis*, & explicatur per particulam *vel*, scilicet, *vel equus est lapis, vel cælum, vel aliquid aliud*, ità ut enumerando omnia disjunctivè, deveniamus ad ens, quod est lapis. Generatim ergo in propositione, ratione prædicati, limitatur suppositio subjecti, quando est termi-

nus infinitus, ut patet in exemplo allato.

64. Alii præterea termini sunt transcendentes, alii non transcendentes. *Terminus transcendens* est, qui per omnia rerum genera vagatur, & in communibus prædicamentis reperitur. Tales sunt sex, scilicet: *Res, Ens, Unum, Bonum, Aliquid, Verum*, qui hac voce *Reuban* continentur, cujus singulæ literæ singulis terminis respondent, & qui de omnibus rebus dici possunt. Quidquid enim est, in quocunque prædicamento, est Res, Ens, & aliquid &c. Hi præpositâ particulâ *non* infinitari nequeunt. Nam ad significandas res prius non significatas transire non possunt, sed amittunt significationem.

Non transcendens est, qui in aliquo certo genere, & prædicamento tantum versatur, ut homo, qui est de genere tantum substantiæ, & non potest affirmari de quavis re, sicut ens potest.

65. Alii termini sunt pertinentes, alii impertinentes. *Impertinentes* sunt, qui neque se invicem inferunt, neque excludunt, ut dives & sapiens, neque enim ex eo, quòd sis dives, sequitur, quòd sis sapiens, neque desipiens. *Per-*

inentes sunt, qui se invicem inferunt, ut homo, & rationalis. Licet enim dicere: Homo est, ergo rationalis est, & contrà: rationalis est, ergo homo, Vel mutuò se excludunt, ut homo, equus. Licet enim dicere: Homo est, ergo equus non est; & contrà: equus est, ergo homo non est. *Pertinentes*, qui se inferunt, alii sunt convertibiles, alii inferiores, alii superiores.

66. *Pertinentes*, qui se excludunt, alii sunt disparati, alii oppositi. *Disparati* sunt, qui non habent peculiarem repugnantiam, sed tantum generalem, ut non possint eidem rei convenire, ut homo, lapis. *Oppositi* sunt, qui habent peculiarem quandam repugnantiam in ordine ad idem subjectum, iiq; sunt quadruplices. *Contradictorii*, *contrarii*, *privativi*, *relativi*. *Contradictorii* sunt affirmatio, & negatio ejusdem, ut homo, non homo. *Contrarii*, qui significant res contrarias, ut calor, frigus. *Privativi*, quorum unus negat alterum, cum aptitudine tamen, ut videns, cæcus, quia ille propriè dicitur cæcus, qui non videt, sed tamen ca-

pax est visûs : non videns autem de quacunque re , etiam incapaci visûs , dicitur. *Relativi* sunt , quorum unus dicit unum , & respectum ad alterum , ut Pater , & filius.

67. Obj. contra Num. 51. Terminus *nemo* est complexus , sed hic terminus non est compositus ex partibus , Ergo terminus complexus non est compositus è partibus.

R. *D. maj.* Terminus *nemo* est complexus significatione , *C. maj.* est complexus voce *N. maj.* & sic *D. min. C. ratio* patet ex citatis numeris 51. & 52.

68. Obj. 2. contra Num. 55. Albedo , sapientia , bonitas &c. sunt formæ , & semper adhærent subjecto , ergo non sunt termini abstracti.

R. *D. A.* Adhærent subjecto , non tamen significant se ei , aut sibi aliam formam adhærentem , *C. A.* adhærent subjecto , simul & significant se &c. *N. A. & C.*

69. Obj. 3. contra Num. 56. Si terminus connotativus est , qui præter subjectum significat formam adjacentem , tunc penè nullum ens est absolutum,

le cum, adeoque penè nullus terminus e-
 rit absolutus, sed hoc dici non potest.
 Ergo. *P. maj.* Nullum penè ens, nul-
 lus terminus est, qui non connotet, ac
 indicet aliud ens. Deus ipse connotat,
 ac indicat creaturas, ut Creator, &
 Omnipotens, sed omnes tales termini
 præter subjectum significant formam
 adjacentem. Ergo.

R. ad 3. cum Casilio *D. maj.* penè
 nullum ens est tum logicè, tum gramma-
 ticaliter absolutum *C. maj.* nullum est
 logicè absolutum *N. maj.* & sic distinct.
min. C. Entia, & termini absoluti logicè
 sunt, qui nec significant formam, nec
 requirunt alium terminum, ut habeant
 completam significationem, cui affi-
 gantur, vel de quo prædicentur, sic ho-
 mo, brutum &c. non requirunt alium ter-
 minum, ut habeant completam signifi-
 cationem, & dicantur de eo in recto.
 Talia entia, & termini non sunt penè
 omnes, quamvis penè omnes conno-
 tent, & indicent alia entia, ac termi-
 nos, cujus causâ dici possunt termini
 connotativi grammaticaliter, & à qui-
 busdam dicuntur absolutè connotativi.

70. Obj. 4. contra Num. 57. Albedo est terminus abstractus, uti diximus. Ergo non est terminus absolutus.

R. ad 4. *C. A. D. C.* no est terminus absolutus ea ratione, quâ est terminus abstractus. *C. C.* ratione diversa *N. C.* Est terminus abstractus, quia est forma inhærens subjecto, quin significet aliam formam sibi adjacentem. Est etiam terminus absolutus, quia significat formam, quæ quidem adhæret subjecto, significat tamen eam non per modum formæ, sed per modum substantivorum *homo, brutum, Angelus, Deus* per se stantium. Oportebat etiam dividere terminum in primointentionalem, & secundointentionalem. At de hoc vide Num. 76.

ARTICULUS VI.

De Suppositione Terminorum.

51. **S**uppositio Terminorum rectè definitur à Toletol. 2. c. 2. *est usus termini vel pro se, vel pro suo significato.*

72. Sciendum est voces poni loco conceptuum ad significandas res, quia non possumus loqui de rebus, nisi utamur vocibus, quoniam verò aliquando in-

incidit sermo de ipsis vocibus, ad quas significandas non utimur aliis signis à voce distinctis, ideò suppositio Termini bene dicitur esse usus Termini, vel pro se, hoc est pro ipsa voce, vel pro suo significato, hoc est pro re significata per vocem. Hinc nascitur divisio suppositionis in materialem, & formalem.

73. *Suppositio materialis est usus Termini ad significandam ipsam vocem, ut patet in hac propositione: homo est vox. Suppositio formalis est usus Termini ad significandam rem, ut homo est animal: ideò in prima propositione homo dicitur supponere materialiter, in secunda formaliter.*

74. *Suppositio materialis dividitur in intrinsecam, & extrinsecam; intrinseca est usus Termini pro se secundum illud, quod habet ex natura sua, ità in hac propositione Petrus est vox ly Petrus habet suppositionem materialem intrinsecam, quia hic terminus habet ex natura sua, ut sit vox. Suppositio materialis extrinseca est usus Termini pro se secundum illud, quod provenit ex*

libera hominum institutione: ità in hac propositione *Petrus est nomen secundæ declinationis* ly *Petrus* supponit materialiter suppositione extrinseca, quia est nomen secundæ declinationis ex libera hominum voluntate.

75. Suppositio formalis primò dividitur in propriam, & impropriam. Propria est usus Termini pro re, quam propriè significat: Improperia verò est usus Termini pro re, quam significat solùm impropriè. Exemplum suppositionis propriæ est hoc, *homo currit*, quia ly *homo* supponit pro re, ad quam propriè significandam ea vox usurpatur: exemplum suppositionis impropriæ est hoc; *Imago Cesaris est homo* ly enim *homo* impropriè tantum significat hominem pictum. In omnibus locutionibus metaphoricis termini supponunt impropriè: hinc colliges fallaciam, quæ comitti solet, quando suppositio mutatur de propria in impropriam, ut patet in hoc argumento sophistico: *Ridere est movere os, sed prata rident, ergo prata movent os, fallacia consistit in eo quòd Terminus*

ridere in una propositione supponit propriè, in alia impropriè.

76 Dividitur secundò suppositio formalis in simplicem, & personalem: suppositio simplex est usus termini ad significanda prædicata secundòintentionalia: suppositio personalis est usus termini ad significanda prædicata primòintentionalia. Quod superius monere oportuit, hic nota, prædicata primòintentionalia esse prædicata realia, quæ prædicantur de rebus ante quacumque operationem intellectûs, prædicata verò secundòintentionalia esse prædicata, quibus objecta denominantur extrinsecè ab actibus intellectûs. In hac propositione *homo est animal* ly *homo* habet suppositionem personalem, quia homo est animal nullo intellectu cogitante; in ista verò propositione *homo est species*: ly *homo* supponit simpliciter, quia non habet esse speciem nisi per operationem intellectûs, qui confundit omnes homines, eòsque denominat *speciem*. Ex eo quòd unus terminus potest adhiberi in argumento, modò cum suppositione simplici, modò cum perso-

nati, nascitur fallacia, quæ reddit argumentum sophisticum, ut patet hoc exemplo: *homo est species, sed Petrus est homo, ergo Petrus est species*: Consequentia enim est falsa, licet antecedens sit verum.

77. Dividitur suppositio personalis in essentialem, & accidentalem. *Essentialis est usus termini pro eo quod res habet essentialiter; ut Petrus est homo: suppositio accidentalis est usus termini pro eo, quod res habet accidentaliter, ut Petrus currit.* Notandum hic est, quod propositio de subiecto habente suppositionem essentialem ut sit vera, non est necessaria existentia subiecti, quæ vocatur constantia subiecti: hinc est, quod ista propositio *Petrus est homo* vera est, etiamsi Petrus non existat, quia terminus supponens essentialiter abstrahit ab omni tempore: vice versa non potest esse vera propositio de subiecto habente suppositionem accidentalem, nisi subiectum existat, ideo de Petro non existente non potest formari verè hæc propositio: *Petrus currit.*

78. Dividitur quartò suppositio in distributivam, copulativam, determinatam, & confusam.

79. Suppositio distributiva est usus termini communis pro omnibus suis inferioribus distributivè acceptis: ità in hac propositione, *omnes discipuli student*, ly *omnes discipuli* supponit distributivè, quia nullus est discipulus, qui non studeat.

80. Suppositio copulativa est usus termini communis pro omnibus inferioribus collectivè acceptis: ità in hac propositione. *Omnes discipuli sunt centum*, ly *omnes discipuli* supponit collectivè, quia omnes collectivè accepti, non verò singuli sunt centum. Ex mutatione suppositionis distributivæ in copulativam nascitur fallacia, quæ reddit hoc argumentum falsum. *Omnes Apostoli sunt duodecim: sed Petrus, & Paulus sunt Apostoli, ergo Petrus, & Paulus sunt duodecim*: fallacia consistit in illo termino *Apostoli*, qui in majori supponit collectivè, in minori distributivè.

81. Suppositio determinata est usus termini communis pro omnibus suis inferioribus

*f*rioribus disjunctivè acceptis, ut aliquis discipulus studet, quæ propositio resolvitur in istam: vel Petrus studet, vel Paulus studet, & sic de singulis discipulis.

82. Suppositio confusa est usus termini communis pro omnibus inferioribus disjunctim acceptis: ut aliqua navis est necessaria ad navigandum; quæ propositio resolvitur in istam: vel hæc, vel illa navis est necessaria ad navigandum. Hinc colliges discrimen inter suppositionem determinatam, & confusam, quòd propositio, in qua terminus supponit determinatè, resolvi debet in propositionem disjunctivam, in qua de singulis seorsim affirmatur illud, quod affirmatum est de termino communi; propositio vero, in qua terminus communis supponit confusè, resolvi debet in aliam propositionem disjunctivam, in qua de omnibus simul acceptis cum particula disjunctiva vel affirmatur illud, quod affirmatum est de termino communi.

83. Ultimo suppositio distributiva dividitur in completam, & incompletam.

84. Sup-

84. Suppositio completa est usus termini communis pro singulis illius generis, ut *omne animal est vivens*, ly enim *omne animal* supponit pro singulis animalibus.

85. Suppositio incompleta est usus termini communis pro generibus singulorum. Ut *omne animal fuit in Arca Noë*, li enim *animal* non supponit pro singulis animalibus, alioquin propositio esset falsa: sed generibus singulorum, hoc est *nullum est genus animalium, ex quo aliquod non fuerit in Arca Noë*.

86. Quam suppositionem hic cum Cataneo vocavimus *distributivam* Corneus appellat *copulativam* ac *universalem* cum aliis. Definitur rectè ab eo esse acceptio vocis pro inferioribus copulativè enunciandis.

87. Illa autem dicit copulativè enunciari, quæ enumerantur per Conjunctionem copulativam, *Et*, copulativè, id est: ità ut integræ enunciationes copulentur. Ut *omnis homo est animal*, sic enim ly *homo* explicatur & resolvitur: Et *Petrus est animal, & Paulus est animal*

animal &c. Omnes & singulos homines enunciando, & integras enunciations copulando.

88. Idem dividit hanc copulativam suppositionem in absolutam, & accommodam. *Absoluta* est, quæ nullam habet exceptionem, ut: omnis homo est animal.

89. *Accommoda* est, quæ habet exceptionem, ut: Deus fecit omnia, nempe se excepto, & præter ea, quæ reliquit in mera possibilitate.

90. Item eadem dividitur in universalem pro generibus singulorum, & pro singulis generum. Sed de his satis N. 85.

91. Ut nôris, quis terminus accipiat universaliter, quis non, hanc dat regulam: *Signum universale affirmativum, sive Omnis distribuit, & facit significare universaliter terminum eum, cui immediatè tantùm præfigitur.* Ut omnis homo est animal, ubi *ly animal* non accipitur universaliter, sed *ly homo*.

92. *Signum universale negativum, sive Nullus distribuit omnes terminos, sive mediatè, sive immediatè sequentes.* Ut: nullus homo est brutum, ubi

homo & brutum accipitur universaliter.

93. Suppositio copulativa Corneo est copulata, aliis collectiva. Eam dicunt esse acceptionem vocis pro inferioribus copulatè enunciandis. Tunc autem copula è enunciatur, cùm non integræ enunciationes, sed tantùm plures termini copulantur, ut: Omnes Apostoli sunt duodecim, sic enim explicatur: & Petrus & Jacobus & Joannes &c. sunt duodecim, non autem, & Petrus est duodecim, & Jacobus est duodecim &c.

94. Pariformiter determinatam vocat disjunctivam, confusam verò disjunctam. De hac Casilius inquit, est usus termini communis disjunctim accepi pro inferioribus, quin in ullo determinatè verificetur. & idcirco hic usus dicitur suppositio vaga: v. g. *aliquis oculus est necessarius ad videndum.* Nam neque dextrum, neque sinistrum determinatè esse necessarium ad videndum est verum. Contrà suppositio determinata, seu disjunctiva est usus termini communis pro inferioribus ità, ut prædicatum verificetur in uno determinato.

nato. Sic dum cum veritate dicerem
aliquis Logicus studet, percurrento Lo-
 gicos venire ad determinatum, qui
 studet, tametsi plerique non studerent.
 Ratio discriminis est, quia in singulis
 inferioribus sub termino communi con-
 tentis est sufficiens fundamentum ad
 verificandum id, quod disjunctivè en-
 unciatur; ex adverso non est tale fun-
 damentum in inferioribus singulis ad veri-
 ficandum id, quod enunciatur disjunctim,
 quia esto & disjunctim & disjunctivè en-
 unciatur prædicatum contingens, tamen
 disjunctivè enunciatur merè potentia-
 le, ac proinde non existens, nec re-
 quirens subjectum determinatum; ac
 disjunctim enunciatur prædicatum exi-
 stens subjectum actuale requirens. Sic
 necessitas videndi non importat actua-
 le visionem ac proinde determinatum ocu-
 lum. Contra studium est prædicatum
 actuale requirens actualem, ac deter-
 minatum Logicum. *Ità Casilius.* Ra-
 tio ulterior est, quod hæc enuncia-
 tio: aliquis oculus est necessarius ad
 videndum, nequit in oculo dextro de-
 terminatè verificari ità, ut absque fal-
 sitate

fitate dicatur, oculus dexter est necessarius ad videndam, nisi verum sit, quòd oculus sinister non sufficiat ad videndum. Atqui id est falso falsius. Idem contingit in aliis hujusmodi suppositionibus.

95. Quæres? Quid sit Propositio de subiecto non supponente, vel propositio suppositionis falsæ. Hæc enim idem sunt, & sæpe inter disputandum audiuntur. R. Propositio id genus est illa, in qua affirmatio, aut negatio aliquid ex parte prædicati, vel subiecti indicat adesse, vel abesse, quod neque affirmat, neque negat, id autem abesse, aut adesse necesse est, ut propositio sit vera. Sic propositio enuncians *Antichristum esse album*, indicat *Antichristum* existere, qui non existit, & eum existere necesse est, ut verum sit, quòd sit *albus*. Sic si dicas *Lucas Apostolus scripsit Evangelium*, *Lucas* non affirmatur, sed repræsentatur *Apostolus*, qui non est *Apostolus*, sed *Evangelista*, & idcirco illa propositio non est vera, sed falsa. Hinc si adversari velis hanc,
&

& illam enuncianti non negabis absolute has propositiones, sed earum suppositum, nimirum quod *Antichristus* existat, & *Lucas sit Apostolus*. Ex adverso, volens adversari alteri dicenti v.g. Definitio termini non est bona, non negabis suppositum, nisi rideri velis à sapientibus; sed negabis absolute propositionem. Hinc

96. Obj. 1. cont. N. 71. In propositione de subjecto non supponente datur usus termini pro suo significato, quin detur suppositio, Ergo suppositio termini non est usus termini pro suo significato.

R. ad 1. *D. A.* datur usus termini pro suo significato, quin detur suppositio, hoc est, quin detur id, quod adesse, vel abesse enunciat propositio, *C. A.* hoc est, quin enunciantes unum de altero utamur termino pro rebus per terminos significatis, *N. Conf.* Nobis hic curæ non est suppositio in prioribus, sed in posteriore sensu.

97. Ob. 2. In hac enunciatione aliquod momentum labitur, momentum supponit disjunctivè, ac determinatè, sed in nullo determinato momento ver-

ri-

rificatur hæc enunciatio , Ergo. *P. min.*
 momentum , in quo hæc enunciatio
 verificatur, est indeterminabile, Ergo.
P. A. Si nullum requiratur determina-
 tum momentum ad verificandam eam
 enunciationem, tunc momentum, quod
 eam verificat, est indeterminabile, sed
 ita est, Ergo.

R. ad 2. C. maj. N. min. ad pr. D. A. est
 indeterminabile quoad nos *C. A.* est in-
 determinabile quoad se, *N. A. & C. ad
 pr. C. maj. N. min.* Nos alterum momen-
 tum ab altero discernere non possumus,
 determinatum tamen, atque Angelis
 probè cognitum labitur. Nam lapsus
 tanquam actuale contingens prædica-
 tum requirit actuale, adeoque deter-
 minatum momentum.

98. *Obj. 3.* Non datur de futuris
 continentibus determinata veritas, Er-
 go saltem in hac enunciatione: *aliquis
 homo curret*, & similibus de futuris
 contingentibus suppositio disjunctiva
 non verificatur in ullo determinato.

R. ad 3 D. A. non datur de futuris deter-
 minata veritas quoad nos, *C. A.* quoad
 se, *N. A. & C.* Certè quoties verum
 est,

est , quòd aliquis homo curret , Deus hominem determinatum , qui revera est cursurus , videt.

99. Obj. 4. contra N. 82. Non habenti oculum dextrum necessarius est ad videndum sinister , Ergo in sinistro cæci oculo verificatur suppositio disjuncta hujus enunciationis : *aliquis oculus est necessarius ad videndum.*

R. ad 4. *D. A.* est necessarius ad videndum oculus sinister per accidens , *C. A.* ex natura rei , & suppositionis disjunctæ est necessarius , *N. A. & C.* Cæcus necesse habet altero determinatè oculo videre , non quia naturâ rei ad visionem , aut disjuncta suppositio ad verificationem sui requirit determinatum oculum , sed quia casu fortuito orbatus est altero oculo , quem habere potest. Hinc neque cæco absolutè necessarius est oculus determinatus ad videndum , nam uti potest habere alium , ita potest videre alio oculo.

ARTICULUS VI.

De aliis Terminorum proprietatibus.

100. **R**eliquæ terminorū proprietates sunt ampliatio, restrictio, diminutio, alienatio, & appellatio.

Ampliatio est *extensio termini à minori ad majorem suppositionem*. Notandum hic est, quòd terminus in propositione aliquando sumitur cum statu, quod tunc contingit, quando accipitur pro præsentis, ut in hac propositione: *Petrus disputat*, ly *Petrus* dicitur habere suum statum, quia supponit pro Petro existente in eo tempore, in quo profertur propositio: aliquando terminus sumitur promiscuè pro tempore præsentis, futuro, vel præterito, & tunc dicitur sumi cum ampliatione.

101. Hinc colliges, quòd in propositione, in qua est verbum de præterito, ampliatur subjectum ad significandum tempus, vel præteritum, vel præsens: prædicatum verò non ampliatur, sed ejus significatio restringitur ad præteritum: ut *Petrus cucurrit*, ly *Petrus* sumitur cum ampliatione ad tempus præ-

te-

teritum, adeoque facit hunc sensum: Petrus, qui est, vel fuit, cucurrit: At in propositione, in qua verbum est de futuro, ampliatur subjectum ad significandum tempus præsens, vel futurum: ut *Petrus audiet lectionem*, sensus est: *Petrus, qui est, vel erit, audiet lectionem.*

102. Restrictio è contrario est coarctatio termini à majori ad minorem suppositionem: quemadmodum enim ampliatur terminus per extensionem à suppositione minori ad majorem, ità restringitur per coarctationem à majori ad minorem.

103. Tribus modis fit restrictio: primò per additionem alicujus adjectivi, quod extremo appositum illius significationem restringit, ut *homo justus est amicus Dei*, si enim *justus* restringit significationem hominis, secundò per additionem casûs obliqui ex parte ejusdem termini, ut *Liber Aristotelis est græcè conscriptus*: Tertio per appositionem substantivi inferioris, ut *Apostolus Petrus est Christi Vicarius*.

104. Diminutio est additio alicujus diminutionis, per quam terminus ex se supponens

nens absolute, supponit secundum quid:
 ut *Æthiops est albus secundum dentes,*
ly secundum dentes vocatur additum
 diminuens, quia *ly albus* supponit ab-
 solute, sed modificatum additione di-
 minuente significat solos dentes *Æthio-*
pis esse albos.

105. *Alienatio est distractio Termini*
à suppositione propria ad impropriam,
 ut *leo marmoreus videtur in foro.* *Leo*
 vocatur terminus distractus: *marmoreus*
 additum distrahens, quia determinat
 alium terminum ad habendam signifi-
 cationem impropriam.

106. Hinc colliges discrimen inter re-
 strictionem, diminutionem, & aliena-
 tionem: restrictio est talis, ut additum
 restringens neque mutet, neque dimi-
 nuat significationem termini, cui ad-
 jungitur, sed solùm trahat significatio-
 nem ad pauciora supposita: in diminu-
 tione additum secundum quid diminuit
 integram significationem termini: in
 alienatione additum distrahens facit
 terminum transire à suppositione pro-
 pria ad impropriam: ideo non valet
 consequentia à termino alienato, vel
 D dimi-

diminuto ad eundem absolutè, & simpliciter acceptum, ut *Leo marmoreus videtur in foro*: ergo *leo videtur in foro*.

107. Appellatio termini definitur esse applicatio significati formalis unius termini ad significatum alterius, ut *Petrus est sapiens*, ly *sapiens* applicat Petro suam significationem formalem: aliquando appellatio fit ex parte subjecti, quod denominatur terminus appellatus, & prædicatum terminus appellans: aliquando fit ex parte prædicati, ut *Petrus est magnus Logicus*, ubi ly *magnus* non appellat Petrum, sed Logicum.

108. Appellatio aliquando est materialis, aliquando formalis; *materialis est, quando appellatio fit termino materialiter considerato, ut musicus ædificat*, quia non ædificat quatenus musicus; *formalis est, quando appellatio fit termino formaliter considerato: ut homo est discursivus*, quia ly *discursivus* convenit homini formaliter, quatenus homo est. Cavendum est diligenter, nè varietur appellatio de materiali in formalem, quia argumentum evadit sophisticum.

ARTICULUS VII.

De Definitione.

109. **M**odus sciendi est artificium aquir-
rendi omnem scientiam de qua-
libet re, seu artificium sciendi, an quæ-
libet res sit, quid sit, cur sit, & qua-
lis sit. Tres communiter modi sciendi
agnoscuntur: Definitio, divisio, & sy-
llogismus. Duo priores huc spectant.

100. *Definitio est oratio, quæ declarat naturam, & essentiam rei, ita homo definitur esse animal rationale, ly homo vocatur definitum, ly animal rationale vocatur definitio. Propriè definitio non est enunciatio, sed tantum ejus pars. Sæpe tamen in enunciatione includitur, ut cum dicimus: homo est animal rationale.*

111. **H**inc colliges inter definitum, & definitionem non dari distinctionem realem, sed solum formalem, quæ vocatur distinctio rationis. Ratio, quia homo, & animal rationale sunt idem realiter, sed distinguuntur formaliter,

quod enim significatur confusè per ly *homo*, significatur distinctè per ly *animal rationale*.

112. Definitio est triplex, alia essentialis, alia causalis, alia descriptiva. Definitio essentialis est oratio declarans essentiam rei per genus, & differentiam. Genus est prædicatum essentialiale, quod res definita habet commune cum aliis rebus. Differentia est prædicatum essentialiale, quod distinguit, & discernit rem definitam à quacunque alia re; hæc definitio: *homo est animal rationale*, est essentialis, quia declarat essentiam hominis per *animal*, quod est genus, & *rationale*, quod est differentia.

113. Definitio causalis est oratio, quæ declarat rem per aliquam ejus causam. Quatuor sunt causæ: materialis, formalis, finalis, & essentialis, de quibus agemus in Physica.

114. Definitio descriptiva, quæ potius vocatur descriptio, quam definitio, est illa, per quam significatur, qualis res sit: Hujusmodi est secundum plures Theologos definitio fidei, quam

tradit Paulus Apost. *est sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium.*

115. Hinc colliges cum Aristotele in 6. Top. ad bonam definitionem tria esse necessaria, quorum unum, si deficiat, est mala definitio, quia bonum ex integra causa, malum ex singulis defectibus. Primò ut omnis definitio sit clarior re definita: ratio est, quia definitione utimur ad declarandam rem definitam, ergo conceptus definitivus debet esse clarior re definita, aliter ignotum explicaretur per ignotius, vel æquè ignotum, quod repugnat. Secundò ut definitio convertatur cum re definita, hoc est, ut de definitione omnia dici possint, quæ dicuntur de definito, & vicissim, a deòq; à definito ad definitionem valet mutua consequentia; ut est *homo*; ergo *animal rationale: est animal rationale; ergo homo.* Tertiò, ut nihil deficiat ex iis, quæ pertinent ad essentiam rei, & nihil sit superfluum, hæc definitio: *homo est animal rationale coloratum*, quia si *coloratum* est superfluum, non enim declarat essentiam hominis.

116. Dupplex modus argumen-
tandi desumitur à definitione : unus
est : de quocunque prædicatur defini-
tum , prædicatur definitio ; & de
quocunque prædicatur definitio , præ-
dicatur definitum : ità de Petro , de
quo affirmatur homo , affirmatur eti-
am animal rationale , & de quo ne-
gatur homo , negatur etiam animal ra-
tionale , ut patet. Alius modus ar-
gumentandi est : de omni eo , de quo
prædicatur definitum , vel definitio ,
prædicatur etiam , quidquid dicitur de
definitione , vel definito , ut : *homo
est capax beatitudinis.*

117. Est alia Definitio quid nominis,
alia quid rei. *Quid nominis* est , quæ
alicujus Vocis significationem expo-
nit , ut si dicas : Dialectica est nomen
significans artem discurrendi. *Quid
rei* est , quæ naturam rei per nomen si-
gnificatæ explicat , ut si dicas : homo
est animal rationale.

118. Obj. 1. cont. N. 100. Definitio
nequit definiiri , nisi detur definitio de-
finitionis ; sed hoc dici nequit , Ergo de-
finitio non est oratio explicans &c. P.

min.

min. Dici nequit, quòd detur calefactio caloris, ergo similiter.

R. ad 1. *C. maj. N. min.* ad pr. *C. A. N. C.* Disparitas est, quòd definitio sit cognitio. Cognitiones verò possunt esse reflexivæ super alias, imò etiam super se ipsas, hoc est, possunt cognitiones habere & alias, & se ipsas pro suo objecto. Sic dum cogito de Deo, mox possum reflexè cogitare de mea circa Deum cogitatione. De calore, & calefactione sic sentire non possumus.

119 Obj. 2. Si definitio posset esse reflexa cognitio super definitionem, tunc posset, ac deberet etiam hæc definiri, ac explicari per alteram secundò reflexam, secundò reflexa per tertio reflexam, & sic in infinitum, sed hoc dici non potest, Ergo.

R. ad 2. *D. maj.* Definitio definitionis posset, ac deberet definiri, & explicari per aliam, si non foret ex terminis nota, *C. maj.* si definitio definitionis nota sit ex terminis, *N. maj. & C. min.* C. Possibiles esse reflexas in infinitum alias super alias cognitiones, quin multis quoque aliis in rebus processum in

infinitem non repugnare extra dubium est. Non esse necessarias alias in infinitum reflexas definitiones, etiamsi definitio per aliam definiri, ac explicari debeat, satis inde patet, quòd definitio definitionis sit ex terminis nota.

102. Obj. 3. Si definitio rectè definiretur, idem esset definitio & definitum, idque clarius, & obscurius se ipso, sed hoc non Ergo.

R. ad 3. *D. maj.* Idem esset definitio, & definitum eodem modo sumptum, idque clarius, & obscurius se ipso eodem modo sumpto, *N. maj.* idem diverso modo sumptum esset definitio, & definitum, idque clarius, & obscurius se ipso diverso modo sumpto, *C. maj. & sic dist. min. N. C.* Definitio definitionis prout apprehensa cum ceterarum rerum definitionibus hoc conceptu: *definitio*, est definitum. Prout oratio explicans naturam rei, est definitio omnium omnino definitionum hoc conceptu: *definitio*, expressarum. Hinc idem diverso modo sumptum est definitio, ac definitum, item cla-

clarius , & obscurius se ipso citra repugnantiam.

121. Obj. 4. Si idem diverso modo sumptum foret definitio , & definitum , definitio se ipsam definirer , & foret reflexa super seipsam cognitio , sed hoc non , Ergo.

R. ad 4. *D. maj.* Definiret se ipsam , & ceterarum rerum definitiones ; item foret exercitè reflexa super se ipsam cognitio , *C. maj.* definirer se ipsam solam , & foret signatè reflexa super se cognitio , *N. maj. & sic dist. min. C.* Sicut reliquæ cognitiones repræsentando suum objectum directè manifestant cognoscenti se ipsas , sic definitio explicando naturam definitionum alias res explicantium , explicat quoque directè , & in actu exercito suam naturam , hinc definit se ipsam , sed non solam , nec se solam habet pro objecto , & est cognitio reflexa super se directè , ac exercitè , non signatè.

122. Obj. 5. Si definitio foret oratio explicans naturam rei per genus , & differentiam à reliquis , tunc definiens aliquam rem cognosceret omnes res ;

sed hoc dici non potest. Nam hominem definiens animal rationale nihil cognoscit præter hominem, Ergo. *P. min.* Differentia rei à reliquis nequit cognosci absque reliquis omnibus, Ergo.

R. ad 5. *N. maj. ad pr. D. A.* Differentia à reliquis sub conceptu differentia à reliquis nequit cognosci sine reliquis omnibus, *CA.* differentia à reliquis præcisè concipiendo id, quod est rei differentia, nequit cognosci sinè aliis, *N. A. & C.* Sic definiens hominem per rationale concipiendo, quòd sit principium ratiocinandi, necesse non habeo cognoscere alia.

123. *Obj. 6. contra Num. 115.* Definitio est modus sciendi; res, quæ definiuntur, non sunt modi sciendi, Ergo non debent omnia dici ex vero de definito, quæ dicuntur de definitione.

R. ad 6 D. C. non debent omnia dici de definito, quæ dicuntur de definitione formali *C. C.* quæ dicuntur de definitione objectiva *N. C.* definitio objectiva, seu res significatæ per definitiones utique nihil aliud sunt, quàm res definitæ. Definitiones formales, seu con-

ce-

ceptus mentis explicantes naturam rei, non sunt res definitæ. Proinde dici non debet de his, quod dicitur de illis, hoc est, de conceptibus definitivis. Atqui de his dicitur, quod sint modus sciendi.

124. Objult. Bene definitur homo niger, esse animal rationale congregativum visus, sed hæc definitio non est clarior definito, Ergo definitio non debet esse clarior definito.

R. ad ult. *C. maj. D. min.* non est quoad quid nominis clarior definito, *C. maj.* non est clarior quoad quid rei, *N. min. & C.* Ante omnia infantes docentur harum & illarum vocum nomina, quæ facillimè juxta & clarissimè condiscuntur. Hinc statim ac didicerunt, quis vocetur niger, quis albus, nôrunt clarè, quoad quid nominis, quid sit niger, quid albus, & putant se nôsse res omnes etiam adulti; re ipsa tamen nesciunt, quid sint, sed quibus nominibus appellentur, nisi præterea sciant res definire. Observandum, raras admodum definitiones esse exactas ad has regulas, plerâsq; esse meras de-

scriptiones. In definitione hominis aded, quæ accuratior cæteris est, plures non pauca desiderant.

ARTICULUS VIII.

De Divisione.

125 **D**ivisio est oratio totum distribuens in suas partes. Dicitur oratio ad differentiam divisionis physicæ, quæ fit, quando per mortem anima dividitur à corpore, vel per gladium aliquod lignum secatur in duas partes; divisio enim Logica, de qua loquimur, est illa, quæ fit mente, & voce, quando aliquod totum distribuimus in singulas partes, ut hæc oratio, quâ dico: *bonum aliud est utile, aliud jucundum, aliud honestum*, est divisio boni, quod vocatur divisum in tria enumerata bona, quæ vocantur membra dividencia.

126. Divisio alia est generis in species, alia totius in partes, alia subjecti in accidentia. Divisio generis in species tunc fit, quando prædicatum universale dividitur in prædicata minus universalialia, de quibus essentialiter prædicatur, ut divisio animalis in rationale,

le, & irrationale: hinc est, quòd divisio essentialis fit in partes, quæ differunt essentialiter. Divisio totius in partes fit, quando aliquod totum dividitur in partes físicas, ut divisio hominis in corpus, & animam, vel partes continuas, quæ vocantur quantitativæ; ut divisio ligni bipalmaris in duos palmos. Divisio subjecti in accidentia fit, quando subjectum in varia accidentia dividitur, quæ subjecto inhaerent, ut divisio hominis in doctum, & indoctum, liberalem, & avarum.

127. Hinc colliges, hæc esse observanda pro bona divisione. Primò singula membra divisionis debent esse inferiora diviso, quia divisum debet latius patere, quàm singulæ partes, in quas dividitur, ideo divisio animalis in rationale, & irrationale est bona, quia magis latè patet animal, quàm rationale: è contrario divisio animalis in sensitivum, & rationale est mala, quia sensitivum æquè latè patet, ac animal, omne enim animal sentit. Secundò omnia membra dividenda debent esse æqualia diviso, adeoque ut

nihil contineatur sub diviso, quod non includatur in membris dividendis: hinc est, quod divisio animalis in hominem, & cervum non est bona, quia membra dividenda non adæquant divisum. Tertio divisio fieri debet in membra dividenda, quorum unum ab altero sit diversum; hinc est, quod divisio animalis in rationale, & risibile non est bona, quia risibile est idem, ac rationale.

128. Primus modus argumentandi in divisione est arguere ab affirmatione divisi ad affirmationem alicujus ex membris dividendis, & vice versa ab affirmatione alicujus ex membris dividendis ad affirmationem divisi. Ratio est, quia non potest de aliqua re affirmari genus, quin affirmetur aliqua species sub illo genere contenta: ita animal, quod est genus, & totum divisum, non potest affirmari de equo, quin affirmetur, vel rationale, vel irrationale, quæ sunt membra dividenda: similiter de quocunque affirmatur aliqua species, affirmatur etiam genus, ita de Petro, de quo affirmatur rationale, affirmatur etiam animal.

129. Secundus arguendi modus est argumentari à negatione divisi ad negationem membrorum dividendum, & è contrario, cum hoc tamen discrimine, ut procedendo à negatione divisi ad negationem membrorum dividendum, liceat negare omnia membra simul, & seorsim accepta : procedendo verò à negatione membrorum dividendum non liceat procedere ad negationem divisi, nisi à negatione omnium, ut *lapis non est animal*, valet consequentia : *ergo non homo* : rursus valet alia consequentia : *ergo lapis non est homo, neque leo &c.* è contrario non valet : *lapis non est equus ergo non est animal*, quia homo non est equus, & tamen est animal ; valet verò : *lapis non est equus, neque homo, neque alia species animalium, ergo lapis non est animal.*

130. Tertius arguendi modus est ab affirmatione divisi, & negatione unius membri dividendum ad affirmationem alterius, ut : *animal est rationale, vel irrationale, sed homo est animal non irrationale. ergo est animal rationale.*

DISPUTATIO II.

De secunda mentis Operatione.

131. **M**entalem alterius de altero affirmationem, & negationem esse alteram mentis operationem diximus in præmio. Vocari prædicationem, compositionem enunciationem, iudicium ibidem insinuatum est. De hac acturis agendum ante omnia est de Nomine, Verbo, & Oratione, quibus iudicia alter alteri manifestamus. Itaque

ARTICULUS I.

*Quid sit Nomen? quid Verbum?
quid Oratio? quid Signum?*

132. **N**omen est vox significativa ex instituto, sinè tempore, cujus nulla pars significat separata. *Arist. lib. 1. de Interpr. cap. 2.*

133. *Significativa sinè tempore.* Id est quæ præter principale significatum suum, nullam certam differentiam temporis, hoc est neque præteritum, neq; futurum neq; præsens denotat. Tale est *homo*, imò etiam *ly dies*, licet enim hoc posseri-

sterius tempus denotet, nullam tamen differentiam temporis significat.

134. *Cujus nulla pars significat separata*, ut excludatur oratio, v. g. *homo est albus*, cujus omnes partes separatim semper suam propriam significationem obtinent.

135. Obj. I. *Hora, dies, mensis, jentaculum, prandium &c.* sunt nomina & significant tempus Ergo *Nomen* non est vox significativa sine tempore *P. A.* Qui audit has voces *dies, prandium*, & novit consuetudinem hominum illico venit in cognitionem temporis v. g. *meridiani*. Ergo.

R. Ad I. *D. A.* Significant tempus non tamen differentiam præteriti, præsentis, aut futuri. *C. A.* Significant tempus & differentias præsentis, præteriti &c. *N. A. & C.* Fatemur quædam nomina significare tempus, ut *hora, dies*, quædam connotare tempus, ut *prandium, cæna*. *Negamus* quòd nomina differentias temporis præteriti &c. significant. Nam *cæna* connotando tempus vespertinum non significat esse præsens, aut futurum.

136. Obj. 2. Sunt quædam nomina composita, quorum partes etiam separatim significant, ut *paterfamilias* & similia. Ergo.

R. ad 2. *D. A.* quorundam nominum partes per accidens etiam separatim significant. *C. A.* Per se significant. *N. A.* & *C.* Per accidens est quod partes nominis *paterfamilias* significant, nomen enim per se hoc non requirit, sicut oratio; de qua mox.

137. Quæres Quid sit *Verbum*? est vox significativa ex instituto, quæ insuper *Tempus* significat, & cujus nulla pars seorsim significat, & semper eorum quæ de altero dicuntur est signum. Tale est *amo*.

138. *Tempus significat*, quia semper, præter principale & formale suum significatum, importat tempus, præteritum, vel præsens, vel futurum. Tale est, *amo*, quod præter actum amoris, significat præsens tempus, ut patet.

139. *Semper eorum quæ de altero dicuntur est signum*, id est vel est ipsum prædicatum, vel copula prædicati in enunciatione. Ut, quando dicitur *Pe-*
trus

trus currit, *ly currit*, quod est verbum, includit ipsum prædicatum cum copula; quando verò dicitur *Petrus est homo*, verbum *est*, est ipsa copula prædicati.

140. Quæres: 2. Quid sit *Oratio*? est vox significativa, cujus partium aliqua separata significat, ut *dictio*, sed non ut *affirmatio* vel *negatio*. Id est, *Oratio* si dividatur in suas partes, aliqua saltem earum aliquid significat, quamvis non semper omnes, & sufficit, ut significet vel ut *dictio*, neque opus est, ut pars illa sit *affirmatio* vel *negatio*, quamvis aliquando ita sit, ut quando *Oratio* est composita v. g. *Homo est rationalis*, & *brutum est irrationale*, hoc enim ad essentiam orationis necessarium non est, & in simplici oratione non reperitur.

141. *Oratio* dividitur in *Perfectam*, & *Imperfectam*. *Perfecta* est illa, quæ facit sensum perfectum, nec relinquit animum auditoris suspensum, ut: *Petrus studet*. *Imperfecta* est illa, quæ facit sensum imperfectum, & relinquit animum auditoris suspensum, ut: *si Petrus studeret*.

142. *Oratio perfecta* alia est, in qua est verum, vel falsum, quales sunt omnes orationes judicativæ, ut: *Petrus est doctus*. Alia est in qua non invenitur verum, vel falsum, sicuti sunt orationes imperativæ, & optativæ. *Utinam studeas: fac ut studeas*; Ratio patet cur in istis non sit verum, vel falsum, in illis verò sit, quia dicenti *Petrus est doctus*, respondetur: *tu dicis verum vel falsum*: dicenti verò *utinam studeas* non respondetur *dicis verum, vel falsum*: ergo *Oratio judicativa* est illa, in qua est verum vel falsum, secus oratio optativa.

143. *Quæres*: 3. *Quid sit Signum?* juxta S. August. est id, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Triplex est: *Naturale, Ex consuetudine, Ad placitum, seu ex Institutione*. Hoc postremum est istius loci, & definitur id, quod ex se est indiferens ad significandam hanc, illamve rem, homines tamen voluerunt, ut hanc determinatam rem significet. Talia signa sunt *voces*.

144. Obj. cont: N. 143. Animæ à corporibus separatæ, & Angeli non sunt muti, adeoque colloquuntur, non aliter, quàm per signa, quæ speciem sui non ingerunt sensibus, siquidem Angeli, & animæ separatæ carent sensibus &c. Ergo *Signum* non est id, quod præter speciem, quam ingerit sensibus &c.

R. Ad 3. C. A. D. C. Ergo *Signum* humanum non est &c. N. C. *Signum* Angelicum aut animarum non est C. C.

ARTICULUS II.

*De Enuntiatione quid & quot-
duplex sit.*

145. **E**Nunciatio, vel est affirmatio vel negatio. *Affirmatio*, est alicujus de aliquo enuntiatio: ut *Deus est bonus*. *Negatio*, est enuntiatio, qua aliquid ab aliquo dimoveatur: ut, *avaritia non est laudabilis*.

146. Enuntiationum alia est universalis, alia particularis, alia indefinita. *Universalis*, est cujus subjectum habet adjunctum signum universale, *omnis*, vel *nullus*: ut, *omnis homo est animal*,
nul-

nullus homo est brutum. Particularis, cuius subjectum habet adjunctum signum particulare, quidam, quidam non, ut, quidam homo currit, quidam homo non currit. Indefinita, est quæ sine ullo signo affirmat aut negat: ut, homo est animal, homo currit. Quod tamen intellige de subjecto universali, nam si de singulari absque signo affirmes, est singularis: ut si dicas, Petrus currit.

147. Item: Enunciationum alia est *Categorica*, alia *Hypothetica*, alia *Modalis*. *Categorica* est quæ simpliciter affirmat vel negat: ut, *dies est*. *Hypothetica*, quæ sub hypothese & conditione affirmat vel negat: ut, *si dies est, sol ortus est. Si bos haberet alas, volaret*. *Modalis*, quæ cum certo modo affirmat vel negat: ut si dicas, *contingens est Petrum currere, vel Petrus contingenter currit*.

148. Sunt autem quatuor potissimum modi: *Necessarium*, *Impossibile*, *Possibile*, *Contingens*. Quamvis enim duo ultimi pro eodem sumantur, tamen communi loquendi modo distinguuntur.

tur. Dupliciter verò hi modi apud Dialecticos adhibentur, imò: *Nominaliter*, ut si dicas: *Petrum currere* est possibile. 2dò: *Adverbialiter*, ut si dicas: *Petrus possibiliter vel contingenter currit.*

149. *Prædicatio* est unius de altero affirmatio. Quod enim alii affirmare dicunt, Dialecticis est prædicare. Dicitur autem *affirmatio*, eo quod licet negatio, aliquo etiam modo prædicatio dici possit, ordinariè tamen affirmatio hoc nomine appelletur.

Unde constat Enunciationem, & Prædicationem esse duas voces, eadem autem res. Hic itaque exponenda sunt, quæ de prædicatione tradi solent.

150. Prædicatio duplex est. Alia *Propria*, alia *Impropria*. *Prædicatio propria*, est cujus omnes partes sumuntur in propria significatione: ut, *homo est animal*. *Prædicatio impropria*, cujus aliqua pars sumitur impropriè: ut cum dicitur, *Prata vident*, ubi *ly vident* impropriè & metaphoricè capitur.

151. Impropria prædicatio Dialecticis est dúplex. Alia *Causalis*, alia *Comitativa*. *Prædicatio causalis* est in qua

qua effectus de sua causa, vel causa de suo effectu in recto prædicatur, ut cum dicimus: *dies est presentia solis*, vel *presentia solis est dies*. Prædicatio concomitativa est, in qua ideo alterum de altero in recto prædicatur, eo quod necessariò se invicem comitantur. Ità à Philosophis passim jactatur illud: *generatio unius est corruptio alterius*.

152. Quæres: Quid in illis prædicationibus sumatur impropriè? R. Copula, sive verbum substantivum *est*, nam *ly est* si propriè sumatur, significat identitatem realem inter prædicatum & subiectum in recto sumpta. Atqui in prædictis prædicationibus non significat identitatem illam, sed tantum causalitatem vel concomitantiam, ut cum dicimus: *presentia solis est dies*, *ly est* significat, non quòd presentia solis sit idem realiter quod dies, sed quod presentia solis faciat diem. Item in altero, cum dicimus: *generatio unius est corruptio alterius*, *ly est* non significat generationem & corruptionem inter se realiter idem esse, id enim perquam falsum foret, sed significat tantum, quod
gene

generationem unius corruptio alterius
concomitetur.

153. Iterum prædicationum alia est
Ordinata, alia *Inordinata*. *Prædicatio*
ordinata, in qua id prædicatur, quod
est aptius prædicari, ut si dicas: *homo*
est animal, homo est risibilis. *Prædi-*
catio inordinata, in qua non prædica-
tur, quod est aptius prædicari, ut si di-
cas: *animal est homo, risibilis est homo*.

154. Quæres: *Quid sit aptius præ-*
dicari quàm subjici? R. Duo potissi-
mum. 1. Superius vel magis univer-
sale ratione sui inferioris vel minùs uni-
versalis, ut *animal respectu hominis, &*
homo respectu Petri. 2. Connotati-
vum comparatione sui absoluti, sive ad-
jectivum vel quasi adjectivum compa-
ratione sui substantivi, ut *risibile re-*
spectu hominis, & album respectu lactis.

155. Item, prædicationū alia est *Iden-*
tica, alia *per accidens*. *Prædicatio iden-*
tica, cujus prædicatum & subjectum
sunt ejusdem planè significationis, ut:
homo est homo, ensis est gladius. Ideoq;
meritò vocatur nugatoria, eo quod ni-
hil explicet, & à quibusdam propterea

negatur mente formari posse. *Prædicatio per accidens*, in qua unus terminus connotativus de altero connotativo prædicatur, eo quod eorum formalia significata, sive formæ per eos importatæ, in eodem subjecto reperiantur. Ita dicimus de lacte, hoc album est dulce, quia nimirum albedo & dulcedo, quæ sunt formalia significata illorum terminorum, in eodem subjecto sive lacte simul reperiuntur. Quare hæ duæ prædicationes ad inordinatam potius, quàm ad ordinatam revocari debent.

156. Ad hæc Prædicatio dividitur in *Essentialem*, *Accidentalem*, in quid, & quale. *Prædicatio essentialis* est, cujus totum prædicatum est de essentia subjecti, ut: *homo est animal*. Dicitur *totum prædicatum* quia si tantum aliqua pars prædicati sit de essentia, non est prædicatio essentialis, ut si dicas: *Petrus est homo albus*, hæc enim censetur accidentalis, eo quod albedo non sit de essentia Petri, licet homo sit.

157. Quæres: *Quid dicatur esse de essentia alterius?* R. Id sinè quo alterius natura neque esse, neque concipi

po.

potest. Ità animal est de essentia hominis, quia non potest aliquid rectè & adæquatè cogitari, & concipi esse homo, & multò minus potest esse homo, si non concipiatur, & si non sit animal. *Prædicatio accidentalis* est, cujus prædicatum vel non totum, vel nulla ex parte est de essentia subjecti, ut si dicas: *Petrus est niger, vel, est homo niger.* *Prædicatio in quid*, est quâ aptè respondetur quærenti quid sit, ut: *homo est animal.* *Prædicatio in quale*, quâ aptè respondetur quærenti qualis sit res, ut *homo est doctus.*

158. *Prædicatio in quale* iterum duplex est. Alia in quale simpliciter, de qua jam dictum; alia in quale quid. *Prædicatio in quale quid* est, quâ aptè respondetur quærenti, qualis sit res secundum essentiam. Vel quæ est essentialis secundum rem, accidentalis autem quo ad modum, eo quod nomine adjectivo fiat., ut si dicas, *homo est rationalis.*

159. Deniq; prædicationum alia est necessaria, alia contingens, alia impossibilis. *Prædicatio necessaria* est, quæ sic est vera, ut non possit esse falsa, ut:

homo est animal. Prædicatio contingens, quæ potest esse vera, & falsa, ut: Petrus est probus. Prædicatio impossibilis, quæ sic est falsa, ut non possit esse vera, ut: homo est brutum.

160. Est etiam propositio alia simplex, alia composita, sive hypothetica. *Propositio simplex, quæ appellatur Categorica, & absoluta est illa, in qua de uno subjecto affirmatur, vel negatur unum prædicatum, ut: homo est animal; quòd si prædicatum significet aliquid distinctum ab esse, propositio vocatur de tertio adjacente, ut: homo est doctus: si verò prædicatum significet aliquid indistinctum ab esse, propositio vocatur de secundo adjacente, ut: Petrus existit.*

161. *Propositio composita, sive hypothetica est illa, quæ componitur ex pluribus propositionibus simplicibus, ut: Petrus currit, & Paulus studet. Propositio composita dividitur in disjunctivam, copulativam, conditionalem, & causalem.*

162. *Propositio disjunctiva est illa, quæ componitur ex duabus propositionibus*



bus simplicibus conjunctis particulâ dis-
junctivâ, vel; ut: Petrus currit, vel Paul-
lus currit.

163. *Propositio copulativa est illa,*
quæ componitur ex duabus simplicibus
conjunctis particulâ copulativâ, ut: Pe-
trus currit, & Paulus studet. Hinc col-
liges, ad propositionem copulativam
non requiri duplex prædicatum forma-
liter, & explicitè, sufficit enim dup-
plex subjectum formaliter, & explici-
tè, ut: Petrus, & Paulus currunt: ideo
propositio omnis homo currit, non est
copulativa, licèt virtualiter, & impli-
citè contineat plura subjecta.

164. *Propositio conditionalis est il-*
la, in qua unum affirmatur, vel nega-
tur sub conditione alterius, ut: si pe-
tam ab amico librum, dabit. Prima pars
conditionalis, quæ exprimitur per par-
ticulam si e.g. si petam librum, voca-
tur conditio; secunda pars, nimirum
dabit librum, vocatur conditionatum.

165. *Propositio causalis est illa, in*
qua inveniuntur due propositiones cum
particula causali quia; ut: quia sol
est, dies est: prima propositio voca-
tur

tur antecedens, & secunda consequens; ratio est, quia intellectus formando propositionem causalem implicitè, & virtualiter discurrit, quicumque enim dicit: *quia sol est, dies est*, arguit ex solis splendentis præsentia lucis diurnæ existentiam.

ARTICULUS III.

De materia, forma, quantitate, & qualitate Propositionis.

166. **I**N qualibet re naturali solent Philosophi quatuor considerare, materiam, ex qua res facta, formam, per quam res est, passiones, & proprietates ab eadem re provenientes, quæ vocantur qualitates; denique magnitudinem, sive quantitatem, ut in homine considerant corpus, quod est materia, animam, quæ est forma, calorem, qui est qualitas, & magnitudinem, quæ est quantitas: eodem modo quatuor considerant Logici in omni propositione, quæ est aliquod totum Logicum, videlicet materiam, formam, qualitatem, & quantitatem.

167. Materia propositionis sunt termini, quia propositio componitur ex terminis, quia verò termini, hoc est, subjectum, & prædicatum possunt inter se ità comparari, ut prædicatum semper, vel nunquam sit in subjecto, vel aliquando sit, aliquando non sit, ideo triplex datur materia, videlicet necessaria, quando prædicatum semper est in subjecto, ut: *homo est animal*, contingens, quando prædicatum aliquando est, aliquando non est in subjecto, ut: *homo est albus*; remota, quando prædicatum nunquam est, nec potest esse in subjecto, ut: *homo est equus*.

168. Forma nihil est aliud, quàm verbum, sive copula cōnectens subjectum, & prædicatum; ideo in hac propositione: *homo est animal*, *ly est* habet rationem formæ, quia per ipsam fit compositum hoc logicum, quod vocatur propositio.

159. Qualitas propositionis est affirmatio, & negatio, quia omnis propositio dividitur in affirmativam, & negativam.

170. *Quantitas propositionis est restrictio, vel extensio principalis subjecti, sicuti enim quantitas hominis est ejus magnitudo, ità quantitas propositionis est illa, per quam cognoscitur, an principale subjectum extendatur ad multa, vel pauca.*

171. *Quadruplex est quantitas propositionis, videlicet universalis, ut: omnis homo est animal; indefinita, ut: homo est animal; particularis, ut: aliquis homo currit; singularis, ut: hic homo currit. Ex quo patet subjectum hujus propositionis: homo est animal; modò extendi, modò restringi ad significandum plures, vel pauciores homines.*

172. *Hinc colliges primò, hanc propositionem: omnis homo est animal esse in materia necessaria, quia necesse est omnem hominem esse animal; secundùm qualitatem esse affirmativam; secundùm quantitatem esse universalem.*

173. *Colliges secundò, propositionem indefinitam in materia necessaria æquivalere propositioni universali, ut*
hæc

hæc propositio: *homo est animal*, æquivalet isti: *omnis homo est animal*; in materia verò contingenti æquivalere particulari, ut: *homo currit*, æquivalet isti propositioni: *aliquis homo currit*. Ratio est, quia in propositione necessaria prædicatum semper ac necessariò est in subjecto, secus in contingenti, ergo prædicatum in propositione necessaria debet affirmari de omnibus inclusis in subjecto, quod affirmari non debet in propositione contingenti.

174. Præcipua proprietas omnium propositionum est veritas, vel falsitas; nam nulla fit propositio, quæ non sit vera, vel falsa. Ratio est, quia propositio vera est propositio conformis objecto, hoc est, quæ judicat rem esse, sicuti verè est; propositio falsa est propositio difformis objecto; hoc est, quæ judicat rem esse aliter ac est, sed omnis propositio est conformis, vel difformis objecto, ergo omnis propositio est vera, vel falsa: ità hæc propositio: *Petrus studet*, est vera, vel falsa, quia

si Petrus studet, est vera, si non studet, falsa.

175. Propositio copulativa est vera, si utraque simplex sit vera: est falsa, si una tantum sit falsa, ut hæc propositio copulativa: *Petrus studet, & Paulus currit*, est vera Petro studente, & Paulo corrente, quod si Paulus non currat, etiamsi Petrus studeat, propositio est falsa; ratio est, quia bonum desumitur ex integra causa, malum verò ex singulis defectibus, ideo ut propositio sit vera, requiritur veritas omnium partium, ut sit falsa, sufficit falsitas unius.

176. Propositio disjunctiva est vera, si una ex duabus simplicibus sit vera: è contrario est falsa, si neutra est vera: ut hæc propositio disjunctiva: *Petrus currit, vel Paulus sedet*, est vera corrente Petro, etiamsi Paulus non sedeat; est falsa, si neque Petrus currat, neque Paulus sedeat. Ratio est, quia per propositionem disjunctivam affirmatur currere Petrum, & sedere Paulum sub disjunctione.

177. Hinc colliges, quod in propositione disjunctiva liceat semper argu-

gumentari à falsitate unius propositionis simplicis ad veritatem alterius, ut: *Petrus currit, vel Paulus sedet, sed Petrus non currit, ergo Paulus sedet.* Non licet è contrario universaliter, hoc est, in omni casu arguere à veritate unius ad falsitatem alterius, quia utraque propositio potest esse vera.

178. Ut autem à veritate unius partis ad falsitatem alterius consequentia sit optima, necesse est propositionem disjunctivam constare ex terminis contradictoriè oppositis vel formaliter, vel illativè. Ratio est satis manifesta, quia prædicata contradictoriè opposita non possunt esse simul vera, neque possunt esse simul falsa, alioquin nulla esset necessitas, ut quælibet res sit, vel non sit; nullaque esset repugnantia, ut idem sit, & simul non sit. Hinc est veritatem unius partis in iis, quæ componunt oppositionem contradictoriam, esse falsitatem alterius, atque adeò ex veritate unius partis necessariò inferri necessitate consequentiæ falsitatem alterius; quod non habet locum in cæteris propositionibus disjuncti-

ctivis, quæ non constant ex prædicatis vicissim oppositis. Hæc igitur propositio disjunctiva, *Petrus orat, vel non orat*; est talis naturæ, ut in hunc modum liceat arguere: *Est verum Petrum nunc orare, vel nunc non orare: sed est verum Petrum nunc orare; ergo non est verum Petrum nunc non orare.* Apud veteres dialecticos invenies, propositionem disjunctivam non esse veram, si omnes ejus partes non sint veræ, id autem est apertè falsum, nisi sermo sit de illis propositionibus, quæ constant ex terminis vicissim oppositis: quis enim dicat hanc propositionem à Christo formatam: *ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ego sum*, non esse disjunctivam, eamque non esse veram, etiamsi duo hic, & tres alibi orent?

179. Propositio conditionalis affirmat, vel negat aliquid ex suppositione alicujus conditionis, quæ vocatur hypothesis, idè veritas, vel falsitas desumi debet ab illa re, quam affirmat futuram, vel non futuram: ità hæc propositio conditionalis: *si petam ab ami-*

co librum, dabit, est vera, si facta suppositione, quòd ego petam librum, amicus verè dabit.

180. Hinc colliges, quòd propositio conditionalis nihil ponit in esse, quia id, quod affirmat, non est absolutè, sed tantùm conditionatè futurum. Præterea conditionatum transit in absolutum purificata conditione, hoc est, existente ea re, quæ venit ex parte hypotesis.

181. Modus, quò arguitur in re præfenti, est hujusmodi. *Si petam ab amico librum, dabit: sed petam ab amico librum; ergo amicus dabit librum*. Hujusmodi syllogismus est hypoteticus, & optimè concludit, quia necesse est, ut consequens sit verum, si antecedens est verum; consequens autem in hoc, & similibus syllogysmis est illa propositio, in qua affirmatur, vel negatur extituram in statu absoluto rem hypotheticè enunciata: antecedens, unde infertur hujusmodi consequens, constat ex geminis propositionibus, quarum una enunciat conditionatè rem futuram, vel non futuram; altera enun-

ciat conditionem absolutè ponendam, vel absolutè non ponendam, ex quibus efficitur, ut conditionatum sit absolutè ponendum, vel non absolutè ponendum. Cavendum tamen est, ut propositio, quæ purificat conditionem, non assumat ad eam purificandam aliam hypothesein, quæ destruat propositionem hypotheticam; alioquin nihil concludetur, ut videre est in hoc syllogismo, qui est ineptus ad concludendum; falsum enim ex vero concludit. *Si peterem ab amico librum, daret: si peterem, & i se non daret, ego peterem: ergo si peterem, & non daret, & daret: quod est apertè impossibile.*

182. Propositio causalis est vera, si illud, quod affirmatur esse causam alterius, verè est causa illius. Hæc propositio causalis: *quia sol est, dies est,* est vera, quia præsentia solis est causa, cur dies sit: è contrærio est falsa, si illud, quod affirmatur esse causam, verè causa non est, ut hæc propositio: *homo, quia est animal, discurret,* est falsa, quia non est verum, rationem, cur homo discurret, esse, quia est animal:

mal: hinc est quòd propositio causalis possit esse falsa, etiamsi utraque simplex sit vera, ut patet in exemplo proposito.

183. Modus arguendi in propositione causali est satis similis modo arguendi in propositione conditionali: ratio est manifesta ex natura utriusque propositionis; quia hoc est discrimen inter utramque propositionem, quòd causalis duo enuntiet, quorum unum est causa, cur sit aliud; conditionalis autem duo enunciat, quorum unum ponetur, alio posito; quidquid sit, an unum sit, vel non sit causa alterius; id enim materialiter se habet ad conceptum propositionis conditionalis: idcirco non est minùs hypothetica propositio, in qua enunciatur aliquid futurum sub hypothesis disparata, hoc est, sub ea hypothesis, quæ nihil omninò conducit ad existentiam conditionati, quàm sit hypothetica illa, in qua enunciatur aliquid futurum sub hypothesis conducente ad existentiam conditionati. Hinc omnis propositio causalis infert necessariò hypotheticam; non
 omnis

omnis hypothetica infert causalem : ita hæc propositio : *quia sol est , dies est ,* infert istam : *Si sol est , dies est ,* è contrario ista hypothetica : *si Turca saltabit , Petrus convertetur ;* non infert hanc causalem : *Quia Turca saltabit , Petrus convertetur.* Eodem igitur modo philosophandū est de argumentatione , quæ fundatur in propositione causali , ac de modo , quò sumus philosophati de argumentatione , quæ fundatur in propositione hypothetica.

184. Quia verò propositio , quæ semper , & essentialiter est vera , adeoque dicitur æternæ veritatis , est in materia necessaria ; quæ semper , & essentialiter est falsa , est in materia remota , sive impossibili ; quæ autem contingenter est vera , hoc est , ita vera , ut possit esse falsa , est in materia contingenti , ideo propositio copulativa , quæ constat ex duplici simplici in materia necessaria , est etiam in materia necessaria , ut : *homo est rationalis , & leo est rugibilis :* quæ constat ex duobus simplicibus in materia remota sive impossibili , vel una necessaria , & alia impos-

sibili.

sibili, est in materia impossibili, ut: *homo est rugibilis, & leo est rationalis*: quæ constat ex duabus in materia contingenti, quæ possunt simul verificari, vel altera necessaria, & altera contingenti, est similiter in materia contingenti, ut: *Petrus currit, & Paulus studet*. Dixi, propositionem copulativam esse in materia contingenti, si componitur ex duabus simplicibus in materia contingenti, quæ possunt simul verificari, si enim non possint simul verificari, etiamsi utraque propositio sit in materia contingenti, propositio copulativa erit in materia impossibili, ut patet in hac propositione: *Petrus sedet, & non sedet*, quæ est in materia impossibili; adeoque semper falsa, etiamsi contingens sit, Petrum sedere, & contingens sit, non sedere.

185. Propositio disjunctiva est in materia necessaria, quando una saltem ex propositionibus simplicibus est in materia necessaria, ut, *Petrus currit, vel homo est animal*. Ratio est, quia ad veritatem propositionis disjunctivæ satis est, si una tantum sit vera; è con-
tra-

trario non potest esse in materia impossibili, nisi utraque sit in materia impossibili: ratio est, quia propositio disjunctiva non potest esse falsa, nisi utraque sit falsa. Tunc dicitur esse in materia contingenti, quando vel utraque simplex est in materia contingenti, ut: *Petrus currit, vel Paulus non currit*, vel altera est in materia contingenti, altera in materia impossibili, ut: *vel equus est rationalis, vel Petrus currit*; ratio est, quia hujusmodi propositio neque est necessariò falsa, currente enim Petro est vera, non currente est falsa.

186. Hinc colliges propositionem disjunctivam posse aliquando fieri ex terminis contradictoriis, ut: *Petrus sedet, vel non sedet*, aliquando ex terminis disparatis, ut: *Petrus currit, vel Paulus sedet*; si fiat ex terminis contradictoriis, valet consequentia à falsitate unius ad veritatem alterius: & è contrario à veritate unius ad falsitatem alterius; quòd si fiat ex terminis disparatis, valet quidem consequentia à falsitate ad veritatem, sed non à veritate ad

ad falsitatem, ut dictum est in hoc eodem Art. num. 177.

187. Propositio conditionalis est in materia necessaria, quando positâ sive purificatâ conditione necessariò ponitur conditionatum, ut hæc propositio: *si homo existit, est animal rationale*, quia necesse est hominem esse animal rationale, quando existit: est in materia impossibili, quando positâ conditione impossibile est poni conditionatum, ut: hæc propositio: *si equus existit, est animal rationale*, quæ est necessariò falsa: tunc est in materia contingenti, quando positâ conditione potest esse, vel non esse conditionatum, ut hæc propositio: *si petam ab amico librum, dabit*, quæ potest esse vera, vel falsa, quia posita conditione potest liber dari, vel non dari.

188. Propositio causalis est in materia necessaria, quando affirmatur, effectum procedere ab aliqua causa, à qua necessariò procedit, ut hæc propositio: *quia sol lucet, dies est*; necesse enim est, ut causa diei sit solis præsentia: in materia impossibili est, quando

do

do affirmatur aliquid procedere ab alio, à quo procedere non potest; ut *quia sol lucet, est nox*: fieri enim non potest, ut præsentia solis sit causa noctis: tunc est in materia contingenti, quando affirmatur aliquid esse causam alterius, quod ab eo potest non procedere, ut *amicus donat librum, quia rogatur*; potest enim contingere, ut non rogatus donet.

ARTICULUS IV.

Quid & quot duplex sit oppositio Enunciationum?

189. *Propositiones oppositæ sunt, affirmatio & negatio ejusdem de eodem, non equivocè sumpto. Nam si æquivocè terminus capiatur, fieri potest ut absque oppositione affirmetur & negetur de eodem, ut si dicas canis (intelligendo de animali) latrat: & canis (intelligendo hoc posterius de constellatione) non latrat, nulla erit oppositio.*

190. *Oppositæ sunt triplices, Contrariæ, Subcontrariæ, Contradictoriæ. Contrariæ sunt oppositæ universales, ut omnis*


omnis homo est doctus. Nullus homo est doctus.

191. *Subcontraria sunt opposita particulares, vel indefinita*, ut quidam homo est doctus. Quidam homo non est doctus. Vel, homo est doctus. Homo non est doctus. *Contradictoriae sunt opposita quarum una est universalis, altera particularis*, ut omnis homo est doctus. Quidam homo non est doctus. *Aut quarum utraque est singularis*, ut Petrus currit. Petrus non currit.

192. His adjungi solent subalternæ, quæ habent aliquam speciem oppositionis. Sunt autem: *Subalternæ propositiones ejusdem qualitatis sed diversæ quantitatis*, ut omnis homo est doctus. Quidam homo est doctus. Qualitas propositionis, est affirmatio & negatio ejusdem. Quantitas verò est universalitas vel particularitas.



193. SCHEMA OPPOSITARUM.



Leges oppsitarum Enunciationum.

194. Lex I. Contradictoriarum. *Nec simul vera, nec simul falsa esse possunt: sed una necessario est vera, altera falsa.* Est enim naturæ lumine notum hoc principium: Impossibile est idem simul esse & non, & illud: quodlibet est vel non est. Atqui contradictio consistit in hoc, ut idem dicatur esse & non esse. Ergo.

195. Lex II. Contrariarum. *Contraria non possunt esse simul veræ, possunt autem simul esse falsæ*, ut omnis homo est doctus: Nullus homo est doctus, quorum utrumque est falsum. Et utrumque eorum verum esse non potest, aliàs etiam duæ contradictoriæ essent veræ. Ostendo. Si enim verum est, quod, omnis homo est doctus. Ergo etiam verum est, quod quidam homo sit doctus. Atqui quidam homo est doctus, & nullus homo est doctus, sunt contradictoriæ. Ergo si contrariæ sunt simul veræ, etiam contradictoriæ sunt simul veræ, quod omnino repugnat.

196. Lex III. Subcontrariarum. *Subcontraria possunt esse simul veræ, non falsæ*, ut aliquis homo est doctus. Aliquis homo non est doctus, quorum utrumque verum est. At utrumque falsum esse non potest, quia alias essent veræ duæ contrariæ. Probatur. Si falsa est hæc: aliquis homo est doctus, ergo vera est ejus contrrdictoria nimirum: Nullus homo est doctus. Item si falsa est hæc: Aliquis homo non est doctus, ergo vera est ejus contradictoria, nempe:

pe: Omnis homo est doctus. Ergo sunt duæ contrariæ veræ, nimirum hæ: Omnis homo est doctus, & nullus homo est doctus.

197. Lex IV. Subalternarum. *Ex veritate subalternantis, sequitur veritas subalternata, non tamen ex falsitate falsitas.* v. g. Omnis homo est animal, est subalternans, & est vera, ex eaque rectè colligo, ergo quidam homo est animal, quæ est subalternata, & ideò vera. Item hæc subalternans est falsa: Omnis homo est doctus, non tamen ideo falsa hæc subalternata: quidam homo est doctus. E contra: *è falsitate subalternata sequitur falsitas subalternantis, non tamen ex veritate veritas.* E. G. Ex hac subalternata falsa: Aliquis homo est stipes, sequitur etiam hanc subalternantem: Omnis homo est stipes, falsam esse. At ex hac vera: Aliquis homo est doctus, non sequitur, quod omnis homo sit doctus. Hactenus Cornæus.

198. Probè isthic observat Ulloa datū schema oppositarū contradictoriè propositionum non videri formale, & exactum. Rationem dat, quòd oppositæ
ad

ad eum modum propositiones non sint in omni materia contradictoriæ, cum in materia prorsus singulari sint ambæ falsæ; quod repugnat naturæ propositionum contradictoriè oppositarum. Sic sive dicas *Omnis DEUS est omnipotens* sive *aliquis DEUS non est omnipotens* falsum dices, quia utraque hæc propositio supponit plures Deos aut existentes aut possibiles. Etenim hæc signa: *omnis, nullus, aliquis*, expressè innuunt multipliciter illius termini, quem imediatè afficiunt, ut omnes fatentur. Proinde utraque illa propositio est de subjecto non supponente, & falsa.

199. Hinc Ulloa docet illas propositiones esse formaliter contradictorias, quarum altera, ut minimum disjunctivè, negat, quidquid affirmat, & supponit altera. Id nî fiat, ambas posse esse falsas. Sic indicando nigrum, sive dicas *hoc album est dulce*, sive *hoc album non est dulce*, falsum dices, quia ambæ hæc propositiones supponunt album esse subjectum, de quo altera affirmat, altera negat, quod sit dulce. Itaque ait Idem, ut in omni

materia datæ propositioni formetur
 contradictoriè opposita præponendam
 esse ei particulam *non* Hæc enim parti-
 cula, ceu malignantis naturæ, destruit
 quidquid post se invenit; hinc siue falsi-
 tas insit subjecto propositionis, siue sup-
 positioni, siue copulæ, siue prædicato,
 siue cuicunq: alteri, præposita particula
non destruit, negando post se omnia, *non*
 copulativè, sed disjunctivè, ut ad verifi-
 candâ negationem altera disjunctionis
 pars sufficiat. Sin ea particula præpona-
 tur negativæ propositioni, pariter eâ de-
 struit, faciendo affirmativam, quia prior
 negatio destruit secundam. unde dici-
 tur duæ negationes faciunt unam affir-
 mationem. Quare juxta Ulloam for-
 maliter contradictoria huic proposi-
 tioni: *Omnis Deus est omnipotens* debet
 esse ista: *non omnis Deus est omnipo-
 tens*, quæ hunc sensum reddit: *vel*
*non sunt multi Dii, vel non sunt omni-
 potentes singuli*; contradictoria isti:
Nullus Deus est omnipotens, statuen-
 da est hæc: *Non nullus Deus est o-
 mnipotens*, quæ æquivalet disjun-

cti.

Etivæ: vel non dantur plures Dii, vel unus est omnipotens. Eodem modo formandæ videntur contradictoriæ in aliis materiis. Unde oppositarum propositionum schema ab Ulloa ponitur hocce: *Omnis homo currit, nullus homo currit, non omnis homo currit, non nullus homo currit.* Eum admodum oppositarum contradictoriè propositionum altera in omni materia possibili necessariò est vera, altera necessariò falsa.

200. Hic notari, & tyrones constanter meminisse velim, aliud esse propositiones contradictorias, aliud prædicata contradictoria. hæc sunt cujuscumque rei affirmatio, & negatio. *Exempl. gr. Est album, non est album;* illæ sunt cujuscumque rei affirmatio, & negatio de eadem re, eodem modo sumpta; ut: *hoc alabastrum est album, hoc alabastrum non est album.* Prædicata contradictoria possunt simul verificari, propositiones contradictoriæ nunquam ambæ possunt esse veræ. Sic dicens *hoc alabastrum est album; hoc corium non est album,* dico verum, si indicem corium nigrum.

Imò præcipuum realis distinctionis munus est, efficere, ut de rebus distinctis sine contradictione verificentur prædicata contradictoria.

201. Obj. 1. cont. N. 191. Si propositiones subcontrariæ non participant rationem oppositarum, malè dividuntur oppositæ propositiones in subcontrarias, sed non participant rationem oppositarum. Ergo. *maj.* patet, nam membra dividenda debent participare rationem divisi *P. min.* Si Subcontrariæ sunt de diverso subjecto, non participant rationem oppositarum, sed ita est Ergo, *P. min.* Si subcontrariæ possunt esse simul veræ, sunt de diverso subjecto, sed possunt esse simul veræ. Quid enim prohibet & hanc: aliquis homo currit, & istam: aliquis homo non currit, esse verã, Ergo. *maj.* patet, subcontrariarum enim altera est affirmativa, altera negativa. Quare sicut verum est, quòd idem nequeat simul esse, & non esse, ita necesse est subcontrarias non esse de eodem subjecto, si possunt esse simul veræ.

R. ad

R. ad 1. C. *maj.* N. *min.* ad pr. D. *maj.* si subcontrariæ non sunt de eodem tum suppositionis, tum verificationis subjecto, non participant &c. C. *maj.* si non sint præcisè de eodem verificationis subjecto, non participant &c. N. *maj.* D. *etiam min.* Non sunt de eodem verificationis subjecto C. *min.* non sunt de eodem suppositionis subjecto N. *min.* & C. In utraque subcontrariarum idem terminus communis *homo* supponit disjunctivè determinatè, ut adductas in objectione expendenti patet. Per alteram affirmatur, per alteram negatur, quòd homo currat. Sunt itaque oppositæ; verum nihilominus est, quòd altera per Petrum currentem, altera per Paulum non currentem verificari possit, & ea propter sunt de diverso verificationis subjecto.

202. Obj. 2. cont. N. 194. Hæ sunt contradictoriæ: *Nullus oculus est necessarius ad videndum, aliquis oculus est necessarius ad videndum*, sed hæ sunt ambæ simul veræ, ut patet è Num. 94. Ergo.

R. ad 2. D. *maj.* sunt contradictoriæ: *Nullus oculus determinatè est necessarius*

ad videndum, aliquis oculus determinatè est necessarius ad videndum *T. maj.* nullus oculus determinatè, & aliquis oculus indeterminatè est necessarius ad videndum *N. maj.* & sic *D. min. C.* Contradictoriæ sunt ejusdem de eodem secundùm idem affirmatio, & negatio. Si ex adductis ab objiciente propositionibus prior neget de ullo, altera affirmet de aliquo oculo determinatè, esse necessarium ad videndum sunt contradictoriæ, sed prior est vera, posterior falsa. Sin altera affirmet de aliquo indeterminatè oculo, altera neget de ullo determinatè oculo esse necessarium ad videndum, utraque est vera, sed non est de eodem secundùm idem affirmatio, & negatio, hinc illæ propositiones non sunt contradictoriæ.

203. Obj. 3. cont. *N. 198.* Si hæc *Omnis Deus est omnipotens*, aliquis *Deus non est omnipotens* non sunt contradictoriæ, sequitur neque has, & similes esse contradictorias: *Omnis homo currit*, aliquis *homo non currit*, sed hoc dici non potest. Nam ejusmodi propositiones semper

per hactenus habebantur pro contradic-
toriiis, Ergo.

R. ad 3. *D.* sequelam *maj.* sequitur
neque has esse formaliter contradic-
torias *C. maj.* neque has esse materialiter
contradictorias *N. maj.* & *T. min. C.* Si-
cut præmissæ sunt formales, quæ dis-
positæ sunt eo modo, ut in omni mate-
ria, è dispositis sic præmissis, infallibili-
ter sequatur conclusio, ità propositio-
nes tunc demum sunt formaliter con-
tradictoriæ, quando ad eum modum
sibi opponuntur, ut ex aliis sic oppositis
alteram in omni materia necesse sit es-
se veram, alteram falsam. Id non ha-
bent propositiones, quæ dicuntur, ha-
ctenus constanter habitæ pro contra-
dictoriis formaliter. Itaque sunt dun-
taxat materialiter contradictoriæ, &
altera est vera, altera falsa, non quòd
adversa earum conformatio alteram ve-
ram, alteram falsam esse exigat, sed
quòd aliunde subjectum utriusq;
subsistere certum sit, & repu-
gnet idem esse, ac non esse.

ARTICULUS V.

*De Equipollentiis & conversione
Enunciationum.*

204. **Æ**quipollentes enunciationes sunt, eodem subjecto & prædicato constantes, & sub diversis signis idem tamen significantes, ut: *omnis homo est animal, nullus homo non est animal.*

205. Pro ea autem Æquipollentia hæ traduntur Regulæ. 1. Reg. pro Contradictoriis. *Præpone Subjecto contradictoria negationem, & equipollebit alteri contradictoria.* E. G. *Omnis homo est doctus: Non quidam homo non est doctus. Item: Quidam homo est doctus: Non nullus homo est doctus.* 2. Reg. pro Contrar. *Postpone negationem, & erit equipollens Contraria sua.* Exempl. *Omnis homo est doctus: Nullus homo non est doctus.* 3. Reg. pro Subaltern. *Præpone & postpone negationem subjecto Enunciationis, & equipollebunt Subalterna.* Exempl. *Omnis homo est doctus: Non aliquis homo non est doctus.* Hæ Regulæ hoc versiculo continentur, *Præ-*

*Præ Contradic, post Contra, præ postq;
Subalter.*

206. *Conversio est duarum propositionum unius ad alteram per subjecti in prædicatum, & prædicati in subjectum mutationem necessaria consequentia manente eadem qualitate Enunciationis; Id est ita, ut ex affirmativa inferatur affirmativa, & ex negativa negativa, ut si dicam: Omnis homo est animal, ergo quoddam animal est homo. Nullus homo est brutum, ergo quoddam brutum non est homo. Prior autem Enunciatio dicitur conversa, posterior convertens.*

207. *Conversio est triplex. Alia simplex, alia per accidens, alia per contrapositionem. Conversio simplex est, in qua servatur eadem quantitas, id est ex conversa universali inferitur convertens universalis, & ex particulari particularis. Et tali conversione simplici convertitur, universalis negativa, & particularis affirmativa. Exempl. Nullus homo est brutum, Ergo nullum brutum est homo. Item; Quidam homo est*

est doctus, Ergo quoddam doctum est homo.

208. *Conversio per accidens est, in qua mutatur quantitas propositionum, id est: univetsalis vertitur in particularem. Ità convertitur universalis affirmativa, & universalis negativa. Exempl. Omnis homo est animal: ergo quoddam animal est homo. Item, nullus homo est brutum, ergo quoddam brutum non est homo.*

209. *Conversio per Contrapositionem est, quando servata quantitate & qualitate per additionem negationum infinitantur extrema, & ità ex finitis Enunciationibus fiunt infinite. Ità convertitur Universalis affirmativa, & particularis negativa. Exempl. Omnis homo est animal, ergo omne non animal non est non homo. Item, aliquis homo non est doctus, ergo aliquod non doctum non est non homo. Harum conversionum maximè primæ & secundæ, usus est in reductione syllogismorum imperfectorum ad perfectos, ut suo loco videbimus, tertia autem & obscurior est, & in nullo penè est usu.*

210. Porrò tota earum doctrina, memoriæ causa, hisce versibus tradi solet.

fEcl simpliciter convertitur, EuA per acci:
AftO per contra, sic fit conversio tota.

In quibus notandæ sunt Vocales A, E, I, O, quantitatem propositionum denotantes. Nam A, significat universalem affirmativam. E, universalem negativam. I, particularem affirmantem. O, particularem negantem, juxta hos versiculos.

Afferit A, negat E, sunt universaliter ambæ.
Afferit I, negat O, sunt universaliter ambo.

Quare in prioribus versiculis, *FecI* denotat E, id est universalem negativam, & I, particularem affirmativam simpliciter converti, & ità de cæteris.

211. Providè Ulloa hic monet: Facile evenire posse, ut è conversa vera inferatur per errorem convertens falsa. Ea propter in conversione propositionum innuit attendendum, ut eodem sensu, & in iisdem suppositionibus termini usurpentur in conversa & convertente etiam tunc dum mutatur quantitas. Propterea has: *aliqua species est homo, aliquod generans est essentia divina,*

malè ait converti sic : *aliquis homo est species*, *Essentia divina est generans*, quia nimirum in altera harum conversarum homo sumitur in suppositione personali, contra in convertente sumitur in suppositione simplici, ut per se patet. In altera conversa, & convertente pariter diverso sensu accipitur *essentia divina*, & li *generans*. Nam propter distinctionem inter prædicata divina aliqui identificata intercedentem diversa sunt: *Essentia est generans*, *essentia est id, quod est generans*. Hinc priorem conversam ait sic convertendam, *homo est aliqua species*; posteriorem verò, *Essentia divina est aliquid, quod est generans*.

212. Innuit 2dò quando conversa negativa unicè est vera ob defectum formæ, quam connotat prædicatum, non esse convertendam in propositionem, quæ tacitè supponit existentiam hujus formæ. Quem fugit hæc observatio, istam: *Nullum corpus est album*, malè convertet sic: *Ergo nullum album est corpus, aut aliquod album non est corpus*. Nam conversa non potest aliter supponi vera, quàm supponendo inter
cor-

corpora, & albedinem non dari unionem, quam existere subjectum convertentis supponit. Quippe dicere nullum album & nullum, quod est album in idem recidit, & manifestum est id, quod est album habere unionem cum albedine. Itaque hæc: nullum corpus est album convertenda est in disjunctivam, quæ disjunctivè negat vel subjectum, vel prædicatum conversæ adeoque est convertenda in hanc; *vel nullum datur album, vel illud non est corpus.*

213. Plures deinde numerat propositiones, in quibus convertendis pronum est errare, & quemadmodum rectè convertendæ sint, indicat. Verba ejus sunt. 1. Nullus senex erit puer; ergo nullus puer erit senex: malè, quia in prima senex supponit de præsentis, & puer de futuro; in secunda è contrà puer de præsentis, & senex de futuro: convertitur itaque sic: ergo nullus qui erit puer est senex. 2. Omnis puer erit senex; ergo aliquis senex erit puer: malè, quia in prima accipitur puer de præ-

fenti, & senex de futuro: in secunda puer de futuro, & senex de præsenti: convertitur itaque, *ergo aliquis, qui erit senex, est puer.* 3. *Aliquis homo est mortuus; ergo aliquis mortuus est homo: malè, quia homo in priore accipitur de præterito, non enim est modò, sed fuit antea homo ille, qui modò est mortuus & in posteriore de præsenti; unde sic convertitur, ergo aliquis mortuus fuit homo.* 4. *Aliquod animal non est Petrus; ergo Petrus non est aliquod animal: est ambigua; si namque negatio in hac ultima distribuatur terminum animal, quem post se invenit, falsa erit, & consequenter mala conversio, quippe significabit Petrum non esse ullum ex cunctis animalibus; sin verò terminum illum relinquat cum sua vaga, & disjunctiva suppositione, conversio erit bona, & convertens vera; quia Petrus reipsa non est equus, & consequenter non est aliquod quoddam animal.*

214. 5. *Possibile est nullum corpus esse album: ergo possibile est nullum album esse corpus; malè: prima nam-*

namq; non supponit existentiam albi; secunda hanc existentiam supponit tautè, quia reddit hunc sensum: *possibile est nullum, quod sit album, esse corpus, qui sensus est falsus: convertitur itaque ergo possibile est vel non existere subiectum album, vel illud non esse corpus; quæ disjunctiva est vera ratione primi membri.* 6. Necessè est omne album esse corpus: ergo necessè est aliquod corpus esse album, quod falsum est: sed conversio est mala: etenim vel prima supponit absolutam existentiam albi (& sic est falsa, cum non sit necessè existere in rebus subiectum album,) vel solum enunciat identitatem illius cum corpore pro casu, quo album existat, & tunc convertens debet esse hæc: *ergo necessè est aliquod corpus esse album casu, quo datur album in rerum natura; quæ vera est.*

215. 7. *Impossibile est omne animal esse hominem: ergo impossibile est aliquem hominem esse animal; mala conversio per accidens: quoniam veritas antecedentis non consistit in repugnantia animalis utcumque cum homine, sed omnis ani-*

animalis cum homine: ergo idem terminus ponendus est in convertente, & dicendum, ergo impossibile est aliquem hominem esse omne animal: ob eandem rationem fallit hæc; non est necesse omne corpus esse arborem: ergo non est necesse aliquam arborem esse corpus, quod est falsum: igitur cum veritas conversæ consistat in illo termino complexo omne corpus & propter illum solum sit vera, ille idem debet poni in convertente sic: ergo non est necesse aliquam arborem esse omne corpus. 8. Impossibile est nullum hominem esse animal; ergo impossibile est aliquod animal non esse hominem, est ambigua: vel enim convertens distribuit animal, & dat hunc sensum *impossibile est dari ullum animal, quod non sit homo, quod cum sit falsum, non potest esse convertens illius prioris, quæ vera est; vel non distribuit animal, sed duntaxat reddit hunc sensum: impossibile est aliquod, id est quoddam determinatum animal non esse hominem; & hoc est verum, & conversio legitima, quoniam, impossibile est animal rationale non esse hominem.*

216. P. Lingen post Casilium quasdam modales juxta datas regulas non posse converti arbitratur. Et verò quemadmodum hæ convertantur *Omne Grammaticum esse hominem est necesse; aliquam creaturam esse peccantem est contingens*, non video. Nam prior, tanquam universalis affirmativa deberet converti per accidens sic: aliquem hominem esse Grammaticum est necesse; aut per contrapositionem in hunc modum: omnem non hominem, esse non Grammaticum est necesse. Posterior, nimirum particularis affirmativa, convertenda esset simpliciter hoc modo: *aliquem peccantem esse creaturam est contingens*. Hæ autem convertentes sunt falsæ, tametsi conversæ sint veræ; itaque eas converti non posse satis apparet. Cujus Lingen reddit hanc rationem. Tota conversio fundatur in connexionione, aut non connexionione mutua extremorum. Atqui sunt propositiones de modo impossibili, inter quorum extrema non est mutua repugnantia; aliæ de modo necessario, inter quorum extrema non est necessariò connexionio mutua; denique

que de modo contingenti, inter quorū extrema non est mutua contingentia. Proinde juxta datas regulas non convertuntur. Modus tamen, qui in eis locum tenet prædicati, potest substitui in locum subjecti, dictum verò in locum prædicati. At hoc non est convertere modales sed transponere constructiones. Ità Lingen.

217 Nec refert, quasdam modales adductis à nobis similes, si secundum datas regulas convertantur, esse veras. Hoc ipso enim quòd in omni materia cum ad modum conversæ non sint veræ, indicium est, nullas modales formaliter converti secundum eas regulas, & quòd quædam veræ sint, non artificio conversionis, sed materiæ, de qua formantur, tribuendum esse. Jam de modalibus ex instituto.

ARTICULUS VI.

De Propositionibus modalibus.

218. **P**Ræter propositiones simplices, & compositas, quæ vocantur propositiones de inesse, dantur propositiones modales, in quibus indicatur prædicatum esse in subjecto cum aliquo

mo-

modo, sive determinatione: ità hæc propositio: *necesse est hominem esse animal*, est modalis, quia non solum indicat, prædicatum esse in subjecto, quod est omnibus propositionibus commune, sed etiam indicat modum, quò prædicatum est in subjecto, nimirum necessitatem, quam habet homo, ut sit animal.

219. Triplex datur modus propositionis modalis, sicut triplex datur materia propositionis simplicis, nimirum necessarium, impossibile, & contingens, sive possibile. Ità hæc propositio: *necesse est hominem esse animal*, est de modo necessario; hæc propositio: *impossibile est hominem esse equum*, est de modo impossibili; & ista propositio: *possibile est hominem currere*, est de modo possibili.

220. Colliges primò in hac propositione modali: *necesse est hominem esse animal*, inveniri modum & dictum. Modus est *li necesse est*, dictum verò est *li hominem esse animal*. Quod dictum est de ista propositione: *necesse est hominem esse animal*, intelligendum est de

de quacunque alia propositione modalis.

221. Colliges secundò pro cognoscenda quantitate, & qualitate propositionum modalium, cognoscendum esse modum, non dictum, si enim modus est affirmativus, propositio modalis est affirmativa, licet dictum sit negativum, ut hæc propositio: *necesse est hominem non esse equum*, est affirmativa. Hinc est, quòd ad formandam propositionem contradictoriam alicujus modalis, debet poni particula negativa ante modum, ut: *possibile est hominem currere*; contradictoria est ista: *non est possibile hominem currere*.

222. Colliges tertio, duos modos esse universales, nimirum *necessarium*, & *impossibile*, unum particularem, videlicet *possibile*, sive *contingens*. Hinc est, quòd propositio de modo necessario, & impossibili est universalis, de modo possibili, sive contingenti est particularis.

223. Aliqua sunt notanda circa veritatem, & falsitatem propositionum modalium, ideo aliquas regulas perspicuas,

cuas , & faciles trademus ad earum
Veritatem cognoscendam.

224. Prima regula est : Propositio
modalis de modo necessario est vera ,
quando dictum ejus propositionis re-
solvitur in propositionem de inesse in
materia necessaria ; exemplum sit hæc
propositio : *necesse est hominem esse a-
nimal*, est modalis de modo necessario,
ut patet ; eadem est vera , quia di-
ctum propositionis , nimirum *hominem
esse animal* resolvitur in istam propo-
sitionem simplicem : *homo est animal* ,
cujus materia est necessaria , videlicet
necessaria connexio inter subjectum ,
& prædicatum ; è contrario est falsa
propositio de modo necessario , quan-
do dictum resolvitur in propositionem
simplicem , in materia contingenti , si-
ve impossibili , ut hæc propositio : *ne-
cesse est hominem esse equum* , & ista :
hominem currere est necesse , est utra-
que falsa , quia dictum primæ propo-
sitionis resolvitur in propositionem
simplicem in materia impossibili ; &
dictum secundæ in propositionem sim-
plicem in materia contingenti.

223. Secunda regula est: Propositio modalis de modo impossibili est vera, quando propositio, in quam resolvitur ejus dictum, est in materia impossibili, ità hæc propositio: *impossibile est, hominem esse equum*, est vera propositio, quia ista propositio: *homo est equus*, in quam resolvitur dictum propositionis modalis, est in materia impossibili; è contrario est falsa, quando propositio, in quam dictum resolvitur, vel est necessaria, vel contingens, ut: *est impossibile hominem currere*, & ista alia: *est impossibile hominem esse animal*.

224. Tertia Regula est: Propositio de modo possibili, sive contingentia tunc est vera, quando propositio simplex, in quam resolvitur dictum propositionis modalis non est impossibilis, ità hæc propositio: *possibile est Petrum currere*, est vera, quia hæc alia propositio: *Petrus currit*, quæ constituit dictum modalis, non est impossibilis. Illa autem est falsa, cujus propositio de inesse est impossibilis, ut: *hominem esse equum est possibile*, propositio est falsa,

sa, quia ista propositio: *homo est equus* est impossibilis.

225. Quarta, & ultima Regula pro omnibus propositionibus est ista. Omnes modales veræ sunt necessariae, & omnes modales falsæ sunt impossibiles. Ratio est, quia omnes modales vel sunt de modo necessario, vel de modo impossibili, vel de possibili, sive contingenti: sed nulla est modalis de modo necessario vera, quæ non sit necessaria, quia si hæc propositio: *necesse est, hominem esse animal*, est vera, datur necessitas, ut homo sit animal, adeóq; propositio modalis est necessaria: idem valet de propositione modali de modo impossibili vera, quia hæc propositio est vera: *hominem esse equum, est impossibile*, datur impossibilitas, ut homo sit equus, sed impossibilitas, ut homo sit equus, est necessitas, ut homo non sit equus, ergo propositio affirmans hanc impossibilitatem est necessaria; quòd autem hoc idem valeat de modo possibili, & contingenti demonstratur, quia si hæc propositio: *possibile est, hominem currere*, est vera, necessariò

exi.

existit possibilitas cursûs , ergo illa propositio : *possibile est hominem currere* , non potest esse vera , nisi sit necessaria. Eodem prorsus argumento ostenditur, modales falsas esse impossibiles ; unde sequitur , non esse idem propositionem modalem esse necessariam , & esse de modo necessario , ut patet.

ARTICULUS VII.

De Propositionibus Exponibilibus.

226. **P**ROPOSITIONES exponibiles sunt illæ, quæ ob aliquem terminum, vel signum in eis inclusum continent æquivalenter plures propositiones ; dicuntur exponibiles, quia, cum habeant sensum obscurum, debent explicari per propositiones clariores, quæ continentur in illis. Hujusmodi sunt propositiones exclusivæ, exceptivæ, & duplicativæ, de quibus aliqua brevissimè dicemus, ut nihil sit, de quo non fuerit à nobis tractatum in sumulis.

227. Propositiones exclusivæ, quæ modificantur aliquo signo exclusivo, quale est, *tantum, solum, & similia*, sunt

sunt in dupplici differentia ; aliæ sunt, quæ dicuntur de prædicato excluso, & hujusmodi sunt, in quibus signum modificans propositionem ponitur ante prædicatum, ut hæc propositio : *homo est tantum animal rationale* ; aliæ sunt, quæ dicuntur absolutæ, & simpliciter exclusivæ, in quibus nimirum signum excludens, ponitur ante subjectum propositionis, ut hæc propositio : *solus iustus salvabitur*.

228. Hinc colliges variari sensum propositionis exclusivæ, quando signum ponitur ante prædicatum, & quando ponitur ante subjectum, ut patet in istis propositionibus : *Apostoli sunt tantum duodecim* : *tantum Apostoli sunt duodecim* : prima enim est vera, quia exponitur per hanc copulativam : *Apostoli sunt duodecim, & Apostoli non sunt plures*. Secunda est falsa, quia resolvitur in istam copulativam falsam : *Apostoli sunt duodecim : & nulli alii præter Apostolos sunt duodecim*.

229. Debemus hic attendere modum resolvendi propositiones exclusivas, ut pateat earum oppositio. Quantum

tum ad exclusivas de prædicato ex-
 cluso facilè est eas resolvere , si
 auferatur signum, & à prædicato re-
 moveatur quilibet alius numerus, vel
 quæcunque alia res, ut hæc propositio:
Apostoli tantum sunt duodecim, resolvitur
 hoc pacto : *Apostoli sunt duodecim,*
& non sunt plures.

230. Major difficultas est in resollen-
 dis propositionibus simpliciter exclusi-
 vis, pro quarum resolutione sciendum
 est: hujusmodi propositiones alias es-
 se, in quibus affirmatur signum, &
 copula propositionis, & propterea vo-
 cantur integræ affirmativæ, ut hæc pro-
 positio : *tantum homo est animal ratio-*
nale, aliàs esse, in quibus tam signum,
 quàm copula negatur, & vocantur in-
 tegræ negativæ, ut hæc propositio:
non tantum homo non est animal ratio-
nale, aliàs, quæ unam negationem ha-
 bent vel ante signum, ut hæc proposi-
 tio : *non tantum homo est animal ratio-*
nale, vel ante copulam, ut hæc propo-
 sitio : *tantum homo non est animal ra-*
tionale.

231. Propositiones integræ affirmativæ resolvuntur per copulas , quarum una constat ex eodem prædicato , & subjecto , ablato signo excludente; alia constat ex eodem prædicato , & termino , qui sit oppositus subjecto , ità hæc propositio : *homo tantum est animal rationale* , debet resolvi in istas duas propositiones : *homo est animal rationale* , & *nihil aliud ab homine distinctum est animal rationale*.

232. Propositiones negativæ de signo , & affirmativæ de copula resolvuntur in duas disjunctivas contradictoriè oppositas duabus copulativis , in quas resolvuntur exclusivæ integræ affirmativæ , ut hæc propositio : *non tantum homo est animal rationale* , resolvitur in istas disjunctivas : *vel homo non est animal rationale* , *vel aliquid ab homine distinctum est animal rationale*. Ideo ad resolvendam propositionem exclusivam , quæ est affirmativa de copula , & negativa de signo , necesse est invenire propositionem exclusivam , quæ sit integra affirmativa , eamque resolvere , ut dictum est in duas copula-

G 2

ti-

tivas, quarum contradictoriæ cum particula disjunctiva *vel*, sunt illæ propositiones, in quas resolvitur exclusivæ resolvenda.

233. Hinc colliges contradictoriam hujus propositionis: *solus homo currit*, & similium esse hanc disjunctivam: *vel homo non currit, vel aliquid ab homine distinctum currit*. Ratio est, quia non possunt esse simul veræ, & simul falsæ, sed altera est necessariò vera, & altera necessariò falsa; si enim nullus currat, erit falsa prima, hoc est exclusivæ, & vera secunda, videlicet disjunctiva, nullo enim currente, verum est hominem non currere, adeoque vera est illa pars propositionis disjunctivæ *vel homo non currit*, quòd si homo currit, & nihil distinctum ab homine currit, vera erit exclusivæ, & disjunctivæ, ut patet; rursus si homo non currat, & currat aliquid distinctum ab homine, vera erit disjunctiva, & falsa exclusivæ: ergo necesse est, unam ex illis propositionibus esse veram, & alteram falsam, quod erat demonstrandum.

234. Propositiones exclusivæ, quæcunq;

sunt affirmativæ de signo, & negativæ
 de copula, resolvi debent in duas co-
 pulativas eo modo, quò dictum est re-
 solvi integras affirmativas. Propositiones
 integræ negativæ resolvuntur in
 duas disjunctivas contradictoriè oppo-
 sitas duabus prioribus copulativis. E-
 xemplum sit: *solus homo non est ratio-*
nalis, hæc propositio resolvitur in hanc
 copulativam: *homo non est rationalis,*
 & *aliquid distinctum ab homine non est*
rationale. Hæc propositio integra ne-
 gativa: *non solus homo non est animal*
rationale, resolvitur in istam contradi-
 ctoriam præcedentis: *vel homo est ra-*
tionalis, vel aliquid distinctum ab homi-
ne non est rationale.

235. Propositiones reduplicativæ
 sunt illæ, in quibus invenitur aliquod
 signum, quod ponit aliquid supra ter-
 minum præcedentem: hujusmodi signa
 sunt *quatenus, in quantum, prout, &*
similia, quæ dicuntur reduplicare ter-
 minum, ante quem ponuntur, ità hæc
 propositio: *omnis homo quatenus ratio-*
nalis est risibilis, est reduplicativa; ejus
 contradictoria est ista: *non omnis ho-*

mo quatenus rationalis, est risibilis. Prima propositio, quæ est ex toto affirmativa, resolvitur in istam causalem: *omnis homo, quia est rationalis, est risibilis*, secunda negativa resolvitur in propositionem causalem similiter negativam: *non quia est rationalis, est risibilis.*

236. Præterea propositio reduplicativa, quæ est negativa de copula, & affirmativa de signo, resolvitur in causalem affirmativam de solo consequenti negato; ut hæc propositio: *homo quatenus rationalis non est risibilis*, debet resolvi in istam causalem: *homo, quia est rationalis, non est risibilis*: ejus contradictoria est negativa de signo, & copula: *homo non quatenus est rationalis, non est risibilis*, quæ resolvitur in causalem negativam de consequenti negato: *non quia homo est rationalis, non est risibilis.*

237. Propositiones exceptivæ, quæ modificantur aliquando signo exceptionis, quale est *præter*, & aliud simile, parum differunt ab exclusivis, ideo sunt resolvendæ eodem modo, ac resolvuntur exclusivæ.

DISPUTATIO III.

De Syllogismo.

DUobus principiis constat Syllogismus, internis & externis, de utrisque agendum, ut tota ejus natura intelligatur.

ARTICULUS I.

De principiis internis Syllogismi.

238. **P**Rincipia interna Syllogismi sunt ea, ex quibus ipse Syllogismus componitur & constat. Hæc autem sunt duplicia, materialia scilicet & formalia. Materialia sunt, termini & propositiones, formalia modi & Figuræ. Syllogismus est species argumentationis. *Argumentatio est oratio in qua unum ex alio colligitur.* Tria autem sunt in Argumentatione, nimirum Antecedens, Consequens, & Nota illationis. *Antecedens* est oratio ex qua aliquid colligitur. *Consequens* est oratio, quæ ex alia colligitur. *Nota illationis* est conjunctio significans unam Enunciationem ex alia colligi, qualis in communi usu est, *Ergo.*

239. NOTA autem discrimen inter consequens & consequentiam. Nam consequens est oratio ex altera deducta, materialiter sumpta, id est, abstrahendo à connexionione, quam habeat cum Antecedente, ex quo deducitur. Consequentia est eadem propositio, ut habens connexionem cum Antecedente, ex quo deducitur, vel est ipsa connexionio propositionis consequentis cum Antecedente.

240. Hinc sæpe fit, ut quis consequens, tanquam verum, facile concedat, Consequentiam autem uti falsam rectè neget. Exemplum esto. Si quis ità arguat: Baculus stat in angulo, ergo cœli sunt rotundi. Consequens nemo negat, Consequentiam tamen nemo non irridet. Quia verum est cœlos esse rotundos, sed non est verum, idè esse rotundos, quia baculus stat in angulo.

241. Argumentatio est duplex. Alia formalis, alia materialis. *Argumentatio formalis* est cum in simili forma non potest dari Antecedens verum, & Consequens falsum. Talis est syllogismus in Barbara, &c. *Argumentatio materialis,*

lis, cum in simili forma potest dari Antecedens verum, & Consequens falsum. Talis est hæc: Omnis homo est sensitivus. Ergo omnis homo est animal. Potest enim eâdem formâ servatâ, inferri: Ergo omnis homo est brutum, quod est falsum.

242. Dividitur etiam Argumentatio in Syllogismum, Enthymema, Inductionem & Exemplum, & quamvis aliquando Dialecticus etiam reliquis utatur, præcipua tamen ei cura est Syllogismi, qui sic definitur:

243. *Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quiddam ab iis qua posita sunt, necessario accidit, eo quod hæc sunt.* Id est, est oratio composita, in qua concessis duabus præmissis, conclusio colligitur, per necessariam & formalem consequentiam, propter legitimam præmissarum in figura & modo dispositionem.

244. Dividitur Syllogismus præcipuè in simplicem, sive Categoricalum, & compositum, sive Hypotheticum. Categoricalus & simplex est, qui habet propositiones simplices. Hypotheticus qui ha-

bet propositiones hypotheticas. Aliæ divisiones ex dicendis facillè perspicientur.

245. Principia interna materialia Syllogismi, sunt materia Syllogismi, ex qua componitur. Duplex autem est materia, alia proxima, alia remota, Materia proxima Syllogismi, ex qua proximè componitur sunt propositiones. Materia remota, ex qua remotè constat, sunt termini, quia priùs ex terminis fiunt Propositiones, deinde ex Propositionibus constituitur Syllogismus. In omni autem Syllogismo sunt tres termini. Nimirum majus extremum, minus extremum, & medium seu medius terminus.

246. *Medium, seu medius terminus* est, qui assumitur ad probandum, & quo mediante probamus prædicatum convenire subjecto conclusionis, & bis ponitur in Antecedente Syllogismi. *Majus extremum*, quod semel in Antecedente Syllogismi ponitur, & est prædicatum Conclusionis directæ. *Minus extremum*, quod semel in Antecedente Syllogismi ponitur, & est subjectum
Con.

Conclusionis directæ. Ut in hoc Syllogismo: Omne animal est vivens. Omnis homo est animal. Ergo omnis homo est vivens, *ly animal* est medium. *Vivens* majus extremum, *Homo* minus extremum.

247. Nam extremum propositionis ut initio dixi est vel prædicatum, vel subjectum, quorum unum initio, alterum in fine Propositionis consistit. Jam verò in Syllogismo præcipua propositio est Conclusio, quare extrema Syllogismi dicuntur ea, quæ sunt extrema Conclusionis id est Prædicatum, & Subjectum ejusdem. Unde etiam majus extremum rectè dicitur quod majoritatem, sive majorem dignitatem obtinet in Conclusionem, sive quod est prædicatum Conclusionis, major enim dignitas est in propositione prædicari quàm subijci. Minus verò extremum vocatur, quod in eadem Conclusionem est subjectum, minor enim dignitas est in propositione subijci, quàm prædicari. Et quia Syllogismi directi plures sunt & perfectiores, quàm indirecti, ideo per ordinem ad syllogismos directos majus

& minus extremum explicatur, & non per respectum ad indirectos in quibus ordo naturalis extremorum reperitur inversus.

Materia propingua Syllogismi sunt propositiones.

248. Sunt autem tres. Major, quæ etiam vocatur simpliciter propositio, Minor, quæ etiam dicitur assumptio, & Conclusio. *Major* est, in qua ponitur majus extremum cum medio termino. *Minor* in qua ponitur minus extremum cum medio termino. Et ordinariè quidem major collocatione primum locum obtinet, quamvis in figura Galeni, quæ non ità tamen naturalis est, hic ordo pervertatur.

249. NOTA etiam ex Hurtado, majorem illam propositionem ex natura rei dici, quæ est universalis, & minorem quæ est particularis, ideòque in Darii & Ferio & similibus Modis, propriè esse majorem & minorem. Et quia duo isti Modi erant, & adhuc sunt usitatissimi, præ omnibus aliis, hinc factum est progressu temporis, ut in omni Modo & Syl-

Syllogismo prima in ordine propositio vocaretur major, & secunda minor, quæ equidem res non est omnino improbabilis.

250. Principia formalia interna Syllogismi, in genere loquendo, sunt dispositiones quædam, tum terminorum, tum propositionum. Dispositio autem terminorum vocatur Figura, dispositio propositionum dicitur Modus.

251. *Figura Syllogistica* ergo est dispositio mediæ termini cum extremis, secundum prædicationem & subjectionem. Talis Figura Syllogistica est triplex, prima, secunda, tertia. *Prima Figura* est, in qua mediæ terminus subjicitur Majori extremo, & prædicatur de minore. *Secunda Figura*, in qua mediæ terminus bis, id est de utroque extremo prædicatur. *Tertia Figura*, in qua mediæ terminus bis, id est utrique extremo subjicitur. De quo cape hos versus.

Prædicat & subicit medium tibi prima figura.

Prædicat altera bis, tertia bis subicit.

252. *Modus syllogisticus*, est dispositio trium Enunciationum Syllogismi se-

secundum quantitatem & qualitatem, id est secundum affirmationem & negationem, universalitatem & particularitatem.

253. Nam in primis duæ præmissæ, servata eadem mediæ constitutione, sive positione mediæ termini, decies sexies variari per combinationem possunt, ut patet in sequente schemate.

O.	I.	E.	A.
A.	A.	A.	A.
O.	I.	E.	A.
E.	E.	E.	E.
O.	I.	E.	A.
I.	I.	I.	I.
O.	I.	E.	A.
O.	O.	O.	O.

254. Jam ergo si sedecim illos modos ponas in prima Figura directos, totidem indirectos, dein totidem in secunda & tertia Figura, habebis sexaginta quatuor, nec pauciores nec plures. Ex his tamen post exactum examen ab Aristotele in lib. poster. Anal. reperti sunt tantum novemdecim probi & for-

& formales Modi, qui hisce versibus continentur :

1. *Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralip-ton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Friesomorum.*

2. *Cesare, Camestres, Festino, Baroco.* 3. *Darapti. Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*

255. NOTA autem primò, Novem priora vocabula spectant ad primam figuram, sequentia quatuor, Cesare, Camestres, Festino, Baroco, ad secundam, cætera sex à Darapti ad finem, tertiæ figuræ sunt addicta.

NOTA 2. Singula verba constant tribus syllabis, vel si quidem plures habeant, id metri est concinnandi causâ, cæterum solæ tres primæ sunt attendendæ.

NOTA 3. Earum verò syllabarum prima denotat Majorem, secunda Minorem, tertia Conclusionem.

NOTA 4. Vocalis A, significat propositionem debere esse universalem affirmativam. E, universalem negativam. I, par-

I, particularem affirmativam. O, particularem negativam.

256. Quare vox illa Barbara indicat, primum Modum primæ Figuræ syllogisticæ requirere, ut Major propositio, & Minor, & Conclusio sit universalis affirmativa. Celarent, indicat secundum Modum exigere, ut Major sit universalis negativa. Et ita de cæteris statuendum.

NOTA 5. Hi Modi primæ Figuræ duplices sunt, alii directi, alii indirecti. *Modi directi* sunt, in quibus prædicatum Conclusionis, & prædicatum Majoris idem est. *Modi indirecti*, in quibus prædicatum Conclusionis est subiectum Majoris propositionis.

Modi primæ figuræ.

MODI DIRECTI.

- BAR. Omne animal est corpus.
- BA. Omnis homo est animal.
- RA. Ergo omnis homo est corpus.
- CE. Nullum animal est arbor.
- LA. Omnis homo est animal.
- RENT. Ergo nullus homo est arbor.
- DA. Omnis equus est animal.
- RI. Aliquod binnibile est equus.
- I. Ergo aliquod binnibile est animal.

FE.

FF. Nullus leo est bipes.
 RI. Aliquod animal est leo
 O. Ergo aliquod animal est bipes.

BA. Omne animal est corpus.
 RA. Omnis homo est animal
 LIP. Ergo aliquod corpus est homo.

CE. Nullum animal est arbor.
 LAN. Omnis homo est animal.
 TES. Ergo nulla arbor est homo.

DA. Omnis equus est animal.
 BI. Aliquod binnibile est equus,
 TIS. Ergo aliquod animal est binnibile.

FA. Omne honestum est bonum.
 PES. Nullum vitium est honestum.
 MO. Ergo aliquod bonum non est vitium.

FRI. Aliquis homo est musicus.
 SE. Nullus lapis est homo.
 SOM. Ergo aliquis musicus non est lapis.

Modi secunde figura.

CE. Nullum vitium est laudabile.
 SA. Omnis virtus est laudabilis.
 RE. Ergo nulla virtus est vitium.

CA. Omnis virtus est laudabilis.
 MES. Nullum vitium est laudabile.
 TRES. Ergo nullum vitium est virtus.

FES. Nullum vitium est laudabile.
 TI. Aliqua temperantia est laudabilis.
 NO. Ergo aliqua temperantia non est vitium.

BA.

- BA. *Omnis virtus est laudabilis.*
 RO. *Aliqua jaclantia non est laudabilis.*
 CO. *Ergo aliqua jaclantia non est virtus.*

Modi tertiæ figuræ.

- DA. *Omnis Elephas est animal.*
 RAP. *Omnis Elephas est quadrupes.*
 TI. *Ergo aliquod quadrupes est animal.*
 FE. *Nulla arbor videt.*
 LAP. *Omnis arbor est substantia.*
 TON. *Ergo aliqua substantia non videt.*
 DIS. *Aliqua virtus est humilitas.*
 A. *Omnis virtus est laudabilis.*
 MIS. *Ergo aliquod laudabile est humilitas.*
 DA. *Omnis virtus est amabilis.*
 TI. *Aliqua virtus est modestia.*
 SI. *Ergo aliqua modestia est amabilis.*
 BO. *Aliqua arbor non videt.*
 CAR. *Omnis arbor est corpus.*
 DO. *Ergo aliquod corpus non videt.*
 FE. *Nullum brutum discurret.*
 RI. *Aliquod brutum est canis.*
 SON. *Ergo aliquis canis non discurret.*

257. *Observe, aliqui hic tyronibus, quo statim agnoscant figuras, has eis notas & regulas præscribunt. In prima figura, Major & Minor aliter incipit aliterque desinit. In secunda, eodem modo utraque præmissa desinit.*

In

In tertia eodem modo incipit. Item in prima & secunda figura Conclusio incipit eo termino, quo incipit Minor. In tertia Conclusio incipit eo termino quo Minor desinit, quæ omnia memoriae causa hisce versiculis illigant.

Aperit & claudit Medio tibi prima Figura.

Altera bis claudit, tertia bis aperit.

Pri, & se, principio, sed tertia sine Minoris Concludit.

258. Quidam quartam syllogismi figuram agnoscunt, dum medius terminus prædicatur in majori, & subjicitur in minori. Hanc Medico Galeno, ceu authori tribuunt, & novem modis in ea concludi posse putant. Alii cum Aristotele hanc figuram rejiciunt, quia ordinatio trium terminorum in præmissis ad mentem Galeni non est diversa coordinatio medii termini cū extremis, à coordinatione Aristotelica primæ figuræ, sed mera translocatio majoris, & minoris. Vocat enim Galenus majorem propositionem, quæ primo, minorem, quæ secundo loco ponitur. At philosophicè major propositio est, in qua, ubicunque ponatur, medius terminus, dum altero

extremo minus, altero magis latè patet, latius patenti subjicitur. Deinde ex ordinatione hacce terminorum ad mentè Galeni sequitur conclusio innaturalis vel ratione materiæ, vel ratione formæ, in qua scilicet quod subjicitur latius patet, quàm prædicatum, vel prædicatur, quòd dispositio præmissarum non exigit prædicari, sed subjici. Hæc Casilius prolixè declarat, quæ tyronibus indicasse satis sit.

259. Obj. I. cont N. 243. Definitione syllogismi non comprehenditur syllogismus expositivus, cujus scilicet medius terminus est singularis, qualis est iste : *Petrus studet, sed hic homo est Petrus, ergo hic homo studet.* Ergo syllogismi definitio non est bona.

R. imo. T A. N. C. Cùm syllogismi expositivi constent medio singulari, patent ad sensum. Unde Arist. iis utitur ad probandam vim aliorum syllogismorum. Igitur necesse non est hujusmodi syllogismos comprehendere definitione syllogismi nos argumentari docente.

R. 2dò;

R. 2dò. N A. Ut enim sit bona, & formalis consequentia in syllogismo, terminorum, & propositionum, seu singulares, seu aliæ sint, dispositionem necesse est regulari secundùm principia communia omnibus syllogismis. Hinc in recitato expositorio subjectum majoris *Petrus* debet accipi distributivè, quasi diceretur, quidquid est Petrus, ut possit inservire ad concludendum convenire subjecto prædicatum, de quo Petrus affirmatur. Ità Casilius.

260. Obj. 2. cont. N. 258. Disamis, & Datifi diferunt sola majoris, & minoris permutatione, efficiunt tamen distinctos modos arguendi, Ergo similiter permutatio majoris, & minoris ad mentem Galeni efficiet diversam ab Aristotelicis figuram.

R. ad 2. T A, N C. Amplius enim requiritur ad multiplicandas figuras, quàm ad multiplicandos modos arguendi contentos sub eadem figura.

261. Obj. 3. cont. N. 256. Darii, & Datifi constant propositionibus ejusdem qualitatis, & quantitatis, ut per se patet. Ergo non efficiunt diversos modos arguendi. R. ed

R, ad 3. C. A. N. C. Nam in Darii medium semel subjicitur majori extremo, semel prædicatur de minore. In Datifi nunquam prædicatur sed subjicitur utrique extremo in præmissis.

ARTICULUS II.

De principiis formalibus externis Syllogismi, & primò de principiis dirigentibus.

262. **P**Rincipia formalia externa voco ea, quæ non sunt in ipso Syllogismo contenta, sicut termini, Propositiones, Figura, Modus, de quibus hætenus egimus, sed ea quæ exterius regulant, & ad Syllogismi confectionem conducunt. Hæc autem sunt duplicia, alia dirigentia, alia perficientia. Principia dirigentia voco regulas & præcepta, quibus intellectus noster dirigitur in fabricatione syllogismorum, eaque iterum sunt triplicia. Primò sunt principia quædam generalissima. 2. Sunt regulæ generales pro omnibus figuris. 3. Regulæ speciales pro singulis figuris.

De

De principiis dirigentibus generalissimis.

263. Talia sunt duo, quæ brevitatis causâ per compendium solent vocari: Dici de omni, & dici de nullo. Principium *Dici de omni*, est tale & hunc sensum habet: *Quidquid dicitur & affirmatur de subiecto universè sumpto, dicitur & affirmatur de quovis contento sub illo.* Ut quia esse animal dicitur de homine universaliter sumpto, ità ut verum sit dicere: omnis homo est animal; ideo de Petro & Paulo, & quovis alio homine particulari, verum est dicere, quòd sit homo. Et hoc quidem principio diriguntur omnes Syllogismi affirmativi, uti vides in hoc Syllogismo.

Omnis homo est animal.

Petrus est homo.

Ergo Petrus est animal.

Ex eo enim quòd omnis homo sit animal, conceditur quod Petrus, qui est contentus sub illo, *omnis homo*, sit animal.

264. Principium *Dici de nullo*, est negativum, & habet hunc sensum: *Quicquid negatur de aliquo universè sum-*

sumpto, negatur etiam de quovis contento sub illo. Ut quia planta negatur de omni animali universè sumpto, ità ut verum sit dicere: Nullum animal est planta, ideo etiam negatur de homine & bruto, & quovis particulari animali, & verum est dicere: Homo non est planta, brutum non est planta. Hoc principio diriguntur omnes Syllogismi negativi, quia in illis ex universali negativa, infertur minus universalis negativa. Cape exemplum:

Nullus homo est arbor.

Petrus est homo.

Ergo Petrus non est arbor.

Ubi vides quod ex eo, quod negetur universè in Antecedente de omni homine, quod sit arbor, negatur etiam in Consequente de Petro, qui est contentus sub omni homine, quòd sit arbor.

*Regulæ generales omnibus figuris
syllogisticis communes.*

265. I. *In Syllogismo tantum sunt tres termini.* Nimirum majus extremum, minus extremum, medius terminus. II, *Medius terminus non in-*
gre-

greditur conclusionem. Aliàs idem probaretur per se ipsum. III. *In alterutra premissarum medius terminus distribuitur:* id est debet universaliter accipi. Aliàs non servaretur principium, dici *de omni, & dici de nullo.* Unde hic syllogismus non valet:

Aliquod animal est rationale.

Omnis equus est animal.

Ergo omnis equus est rationalis.

266. IV. *Ex puris particularibus nihil inferto.* Propter eandem causam. Unde non beneconcluseris hoc modo:

Aliquod animal est bestia.

Atqui tu es aliquod animal.

Ergo tu es bestia.

267. V. *Ex puris negativis nihil colligito.* Quia non servaretur regula, dici *de nullo.* Hinc fatuus est hic Syllogismus.

Nullus homo est brutum.

Nullus equus est homo.

Ergo nullus equus est brutum.

268. VI. *Unâ premissarum particulari existente, conclusio particularis esto.* Aliàs procederetur à non distributo ad distributum, ut patet in hoc Syllogismo:

H

O-

Omnis homo est rationalis.

Aliquod animal est homo.

Ergo omne animal est rationale.

269. VII. *Unâ præmissarum negati-
vâ existente, conclusio negativa esto.*
Aliàs fieret contra principium, *dici de
nullo* ut vides in seq. exemplo:

Nullum animal est planta.

Omnis homo est animal.

Ergo omnis homo est planta.

Hæ regulæ hisce versibus, memoriæ
causâ, comprehenduntur.

*Terminus est terminus, Medio nè clausuris unquam,
Altera distribui medium præmissa requirit.*

*Paribus è puris sequitur nihil; Atque negatis.
Et sequitur partem conclusio deteriolem.*

Pars deterior vocatur præmissa nega-
tiva, & particularis, respectu affirmati-
væ, & universalis.

Regulæ speciales primæ Figuræ.

270. Sunt duæ. I. *Ex minore nega-
tiva nihil colligito.* Quia non servatur
regula, *dici de nullo*: ut vides in appo-
sito paralogismo:

Omne animal est vivens.

Nulla planta est animal.

Ergo nulla planta est vivens.

Quia

Quia hæc Conclusio non est contenta sub ulla ex præmissis.

271. II. *Ex Majore particulari non arguito.* Quia talis Syllogismi Medium non distribuitur, ut facile intelligis in hoc:

Aliquod animal est homo.

Omne brutum est animal.

Ergo aliquod brutum est homo.

Nam ly *animal*, quod est medius terminus, in neutra præmissarum accipitur generaliter, cum in Majore habeat præfixum signum particulare, in Minore verò signum *Omne*, distribuat tantum terminum proximè sequentem, nempe *brutum*, juxta superius dicta, & aliàs hic sit sensus, Omne brutum est aliquod animal, & non omne animal. Ergo animal ibi accipitur particulariter.

NOTA: Hæ tamen regulæ intelligendæ sunt de Modis directis tantum. Nam indirectè concludi potest ex Minore negativa in *Fapesmo*, & ex Majore particulari in *Frisesom*, quia in illis cessat ratio regulæ, ut considerantem latere non

potest. De regulis hisce cape versiculum.

Sit Minor affirmans, nec Major sit specialis.

Regulae speciales secundae Figurae.

272. Sunt duae. I. *Ex puris affirmativis in secunda figura non concludito.* Quia in tali Syllogismo medium non distribuitur. Exempl:

Omne brutum est animal.

Omnis homo est animal.

Ergo omnis homo est brutum.

273. *Ex Majore particulari nè in secunda figura concludito.* Quia in tali Syllogismo, ex parte majoris extremi proceditur à non distributo ad distributum. Unde non valet hic Syllogismus:

Aliquod animal non est rationale.

Omnis homo est rationalis.

Ergo aliquis homo non est animal.

Has duas regulas, habes hoc versiculo comprehensas.

Una negans praeat, nec Major sit specialis.

Regulae speciales tertiae Figurae.

274. Sunt etiam duae. I. *Ex Minore negante nè concludito.* Ratio regulæ est, qui-

quia aliàs procedetur à non distributo ad distributum. Ut in apposito paradigmate est videre.

Omnis homo est animal.

Nullus homo est brutum.

Ergo aliquod brutū non est animal.

275. II. *Conclusio in tertia figura est particularis.* Propter eandem causam.

Hinc non valet, si dicas:

Omnis homo est rationalis.

Omnis homo est animal.

Ergo omne animal est rationale.

Sit Minor affirmans, conclusio particularis.

ARTICULUS III.

De modo reducendi syllogismos imperfectos, ad perfectos.

276. **I**Nter modos utiles argumentandi, quos diximus esse decem, & novem, aliqui sunt perfecti, & alii imperfecti, unde patet, non esse idem syllogismum esse inutilem, & esse imperfectum, quia syllogismus inutilis non bene concludit.

277. Discrimen inter syllogismum perfectum, & imperfectum traditur ab Aristotele in lib. i. Priorum cap. i. his verbis: *Perfectum itaque voco syllogismum, nullo alio indigentem, præter propositiones assumptas, ut necessarius appareat; imperfectum verò indigentem, aut unius, aut plurium, quæ sunt quidem necessaria per subiectos terminos: non tamen assumpta sunt per propositiones.*

278. Ex his Aristotelis verbis inferatur, esse commune tam perfectis, quàm imperfectis syllogismis, ut conclusio sequatur necessariò ex præmissis, differre verò perfectos ab imperfectis syllogismis, quòd in syllogismis perfectis apparet evidenter conclusionem sequi, in syllogismis verò imperfectis non adeò evidenter apparet, ideo requiritur aliquid aliud, ut evidentissimè appareat, conclusionem sequi.

279. Hinc colliges: solos quatuor primos arguendi modos in prima figura, qui vocantur directi, esse perfectos, cæteros esse imperfectos. Ratio est, quia evidentissimum est quatuor prædictos modos regulari à duobus principiis:
di-

dici de omni , & dici de nullo , quod non est adeò evidens in reliquis argumentandi modis , ut patet consideranti.

280. Quia verò omne imperfectum reduci potest ad aliquod perfectum , ideo Logici invenerunt modum reducendi omnes syllogismos imperfectos , ad primos quatuor perfectos , adeòq; ostendendi conclusionem necessariò sequi ex præmissis dispositis in omnibus modis utilibus argumentandi, qui continentur in quatuor versibus prædictis.

281. Duplex datur modus reducendi syllogismos imperfectos ad perfectos , unus est per ostensionem , alius per impossibile.

282. Reductio per ostensionem fit , quando eadem conclusio , quæ infertur in aliquo ex modis imperfectis , infertur etiam sub iisdem terminis in aliquo ex modis perfectis , adhibita conversione alicujus præmissæ.

283. Reductio ad impossibile fit , quando ex contradictorio propositionis , quæ infertur in aliquo syllogismo ex modis imperfectis , cum una præmissa ejusdem syllogismi , infertur argumen-

tando in aliquo ex modis perfectis, contradictorium alterius propositionis, adeoque ostenditur, non posse antecedens esse falsum, & consequens verum.

284. Exemplis totum declaratur; formet aliquis hunc syllogismum in *Cesare*, qui necessario est imperfectus, quia est in secunda figura; *Nullus lapis est animal, sed omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis.* Hic syllogismus reducitur ostensivè, vel per ostensionem ad syllogismum in *Celarent*, qui est syllogismus perfectus, convertendo propositionem majorem conversione simplici, in hunc modum: *Nullum animal est lapis, sed omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis.* Ecce argumentum perfectum, in quo sub iisdem terminis, eadem conclusio infertur, quæ fuit illata in syllogismo imperfecto.

285. Formet aliquis hunc alium syllogismum in *Beardo*, qui est in tertia figura, adeoque est modus imperfectus: *Aliquis homo non est lapis, sed omnis homo est rationalis, ergo aliquod rationale non est lapis.* Hic syllogismus reducitur ad syllo-

lo-

logismum in *Barbara* per reductionem ad impossibile hoc pacto : Sumatur propositio contradictoria conclusionis , quæ erit ista : *Omne rationale est lapis* , & ista sit major syllogismi in *Barbara* , deinde pro minori sumatur minor primi syllogismi , videlicet : *omnis homo est rationalis* , infertur per syllogismum in *Barbara* , hæc conclusio : *ergo omnis homo est lapis* , sed hæc propositio est contradictoria hujus propositionis : *aliquis homo non est lapis* , quæ est major propositionis syllogismi in *Boeardo* , ergo non potest esse consequens falsum , dum arguitur in *Boeardo* , quin eo ipso sit falsum antecedens : adeoque ille modus argumentandi est optimus. Eodem pacto si quis hunc syllogismum in *Baroco* : *Omne risibile est homo* , *aliquis lapis non est homo* : *ergo aliquis lapis non est risibilis* : Velit per reductionem ad impossibile reducere ad syllogismum in *Barbara* , debet ex majori propositione , & minori , quæ debet esse contradictoria consequentis , inferre conclusionem contradictoriam minoris in hunc modum : *Omne risibile est homo* , *omnis lapis*

est risibilis , ergo omnis lapis est homo. Hæc conclusio , quæ infertur in syllogismo in Barbara , ergo omnis lapis est homo , contradicit illi propositioni , quæ est minor in syllogismo in Baroco : aliquis lapis non est homo.

286. Difficultas est declarare primò , quinam sint illi modi inter syllogismos perfectos , ad quos reducendi sunt , vel per ostensionem , vel per impossibile singuli imperfecti ? secundò , quare reductione singuli sint reducendi , ostensivène , an per impossibile ? tertio , quænam propositio convertenda sit , dum fit reductio per ostensionem.

287. Pro solutione hujus difficultatis debemus recolere singula verba , ex quibus componuntur quatuor illa carmina : *Barbara , Celarent &c.* deinde considerare primas literas , quæ inveniuntur in istis quatuor verbis : *Barbara , Celarent , Darii , Ferio* : quibus respondent quatuor modi perfecti (ut dictum est) hujusmodi literæ sunt *B. C. D. & E.* omnia alia verba , per quæ significantur reliqui modi imperfecti argumentandi , incipiunt per aliquam ex istis quatuor li-

literis, ut facilè patebit consideranti-
bus. Hinc est, quòd omnes isti modi,
qui incipiunt per literam *B.* reducendi
sunt ad *Barbara*, qui per literam *C.* ad *Ce-
larent*, qui per literam *D.* ad *Darii*, & qui
incipiunt per literam *F.* ad *Ferio*.

288. In omnibus modis fieri potest
reductio per ostensionem, exceptis il-
lis, qui significantur verbis includenti-
bus literam *C.* quales sunt syllogismus
in *Baroco*, & syllogismus in *Bocardo*, qui
non possunt reduci ad syllogismum in
Barbara, nisi per reductionem ad im-
possibile.

289. Præterea debemus observare
tres alias literas consonantes *S. P. & M.*
quarum prima nimirum litera *S.* signifi-
cat propositionem, quæ significatur per
vocale[m] antecedentem, convertendam
esse simpliciter; secunda nimirum *P.* si-
gnificat, conversionem faciendam esse
per accidens; tertia videlicet *M.* signi-
ficat, faciendam esse mutationem præ-
missarum, ità ut major mutetur in mino-
rem, & minor in majorem. Declaratur
hoc totum præsentis exemplo. Formet
aliquis hunc syllogismum in *Camestres*:

Omnis homo est animal, sed nulla planta est animal, ergo nulla planta est homo. Hic syllogismus debet ostensivè reduci ad syllogismum in *Celarent*, quia invenitur in hoc verbo *Camestres*, duplex litera *S.* una post secundam vocalem *E.* & alia post tertiam vocalem similiter *E.* & duæ vocales significant, minorem, & conclusionem esse propositiones universales negativas, hujusmodi sunt convertendæ simpliciter, adeoque conclusio converti debet in hanc propositionem: *nullus homo est planta*; minor propositio converti debet in istam: *nullum animal est planta*: rursus quia invenitur litera *M.* quæ significat mutationem præmissarum, minor debet fieri major, & major minor in hunc modum: *nullum animal est planta, sed omnis homo est animal, ergo nullus homo est planta.* Qui syllogismus est perfectus, & concludit in *Celarent*.

ARTICULUS IV.

De syllogismo sophistico, sive fallaciis.

290. **P**ROPOSITIS, & declaratis modis tam perfectis, quàm imperfe-

fectis argumentandi debemus pro complemento summularum aliqua de syllogismo sophistico, sive de fallaciis leviter delibare, ex quibus formari solent argumentationes subdolæ, & captiosæ, ea de causa ità appellatæ, quia rudes Philosophi ità ab iis capiuntur, ut nesciant verum à falso discernere, quare operæ pretium erit, præcipuas fallacias exponere; & simul tradere modos eas solvendi, ut omnes habeant in promptu ea, quibus possint dissolvere sophismata sibi objecta, & ità sophistarum conatus eludere, frustrà enim jactitur rete ante oculos pennatorum.

291. Ad constituendam fallaciam, sive ad formandum argumentum sophisticum duo requiruntur, videlicet similitudo, quam habet falsum cum vero, movens intellectum, sive imaginationem ad errandum. Hæc similitudo est occasio deceptionis; adeoque appellatur causa apparentiæ, quia intellectus non bene distinguens confundit unum cum alio, & ità decipitur, accipiendo falsum pro vero. Alterum, quod requiritur ad formandam fallaciam est similitudo, &

vera differentia, quæ est inter falsum, & verum; hæc similitudo vocatur causa non existentia, quia intellectus; qui perfectè distinguit, statim attingit illam differentiam, quæ discernit falsum à vero.

292. Hoc exemplo rem totam declaro. Hic syllogismus est sophisticus, & includit fallaciam: *Omnis canis latrat; sed sydus cæleste est canis, ergo sydus cæleste latrat.* Fallacia hujus syllogismi consistit in illa voce *canis*, quæ cum sit terminus æquivocus, ut dictum est, Art. 4. Num. 37. sumitur perinde, ac si esset terminus univocus. Causa igitur apparentia in ista fallacia est illa similitudo, quæ est inter terminum æquivocum *canis*, & terminum univocum *animal*, sicuti enim animal dicitur de homine, de equo &c. animalibus, ita canis dicitur de cane Maritimo, Cælesti, & Terrestri. Causa non existentia est dissimilitudo, quæ intercedit inter terminum æquivocum *canis*, & terminum univocum *animal*, quia ratio per hoc nomen *canis* significata est omnino diversa in cane Maritimo, Cælesti, & Ter-

re-

restri, ratio verò significata per terminum univocum *animal*, est omnino eadem in singulis animalibus.

293. Omnes fallaciæ reducuntur ad duo genera, sicuti duæ sunt causæ, ex quibus nascitur diversitas apparentiæ, in qua fundatur omnis fallacia.

294. Unum genus est earum, quæ dicuntur in dictione, quales sunt omnes illæ, quæ habent causam suæ apparentiæ in solis vocibus. Aliud genus est earum, quæ dicuntur extra dictionem, hoc est, earum, quæ causam suæ apparentiæ non habent in vocibus, sed in rebus per voces significatis.

295. Antequam de singulis utriusq; generis fallaciis agamus, notandum est, syllogismum, in quo invenitur fallacia, non esse syllogismum formalem. Hinc est, quòd potest concedi major, & minor, & deinde negari consequentia, ostendendo fallaciam argumenti.

296. Fallaciæ in dictione sunt sex. Æquivocatio, Amphibologia, Accentus, Compositio, Divisio, & figura dictionis.

297. Fallacia æquivocationis est error

ror proveniens ab una voce significante plura diversa; hac fallacia laborat iste syllogismus: *Ridere est movere labra, sed prata vident, ergo prata movent labra.* Æquivocatio consistit in illa voce *ridere*, quæ cum significet res diversas, in majori propositione significat risum proprium hominis, & in minori significat risum improprium, atque metaphoricum.

298. Fallacia Amphibologiæ est error proveniens ab una oratione, quæ potest habere plures sensus. Hujusmodi fallacia invenitur in hoc syllogismo. *Quidquid est Aristotelis, possideatur ab Aristotele, sed hæc Logica est Aristotelis, ergo hæc Logica possidetur ab Aristotele.* Fallacia consistit in oratione, *quidquid est Aristotelis*, quæ in majori significat rem ab Aristotele possessam, & in minori significat Logicam ab Aristotele compositam.

299. Fallacia accentûs est error proveniens ex diversa significatione, quæ oritur ex diversa pronuntiatione accentûs, vel quantitatis alicujus syllabæ: hæc fallacia est in isto syllogismo: *omnis*

populus est arbor, sed Roma est populus, ergo Roma est arbor. Solvitur fallacia ostendendo diversam significationem, quam habet hæc vox *populus*, cujus prima syllaba est longa, ab ea, quam habet eadem vox, cujus prima syllaba est brevis.

300. Fallacia compositionis committitur, quando sensus divisus est verus, & sensus compositus falsus, & arguitur à sensu diviso ad sensum compositum, ut patet in hoc syllogismo. *Omne enim hominem currere est possibile, sed Petrus, qui nunc sedet, est homo, ergo Petrum nunc sedentem currere est possibile.* Solvitur hæc fallacia distinguendo sensum compositum à sensu diviso, in hunc modum. *Omne enim hominem currere est possibile* in sensu composito cum sessione, *N. maj.* in sensu diviso à sessione, *C. maj. & concess. min. Disting. Consequens.* *Ergo Petrum nunc sedentem currere est possibile* in sensu diviso, *C. C.* est possibile in sensu composito, *N. Conseq.*

301. E contrario fallacia divisionis
com-

committitur, quando à sensu composito vero arguitur ad sensum divisum falsum, ut patet in hoc argumento: *Juvenes esse senes est impossibile, sed homines sunt juvenes, ergo homines esse senes est impossibile* Solvitur similiter hæc fallacia distinguendo sensum divisum à sensu composito.

302. Fallacia figuræ dictionis est error proveniens ex eo, quòd nomen unius prædicamenti sumitur pro alio prædicamento, ut iste syllogismus: *Quid quid emisti, comedisti, sed emisti carnes crudas, ergo comedisti carnes crudas.* Fallacia consistit in eo, quòd à prædicamento substantiæ fit transitus ad prædicamentum qualitatis. Extra dictionem plurimæ fallaciæ committuntur.

303. Prima est fallacia accidentis, quando uni rei tribuimus omnia, quæ tribuimus alteri, quæ tamen non conveniunt illi, qua parte est una res cum alia, existimantes id licere propter identitatem, & unitatem. Hac fallacia laborant omnes syllogismi, in quibus adhibentur termini cum suppositione, vel

appellatione diversa, de quibus actum est suo loco. Ità hic syllogismus. *Veritas est terminus abstractus, sed Deus est veritas, ergo Deus est terminus abstractus.* Habet fallaciam accidentis, quia terminus *veritas* in majori supponit simpliciter, & in minori personaliter.

304. Secunda fallacia est secundum quid, & simpliciter. Hæc solet esse frequentissima in argumentis, & committitur, quando aliquod prædicatum dicitur de subjecto simpliciter, quod illi convenit secundum aliquam partem, in quo casu arguitur à secundum quid ad simpliciter, ut *Æthiops est albus secundum dentes, ergo est albus.* Consequentia non valet, quia arguitur à secundum quid ad simpliciter.

305. Eadem fallacia committitur, quando aliquid prædicatur de subjecto secundum partem, quod illi convenit simpliciter, in quo casu arguitur à simpliciter ad secundum quid, ut: *Homo mortalis, ergo mortalis est secundum animam.* Consequentia non valet propter eandem rationem. Huc spectant omnes fallaciæ, quæ committuntur, dum

dum arguitur à termino diminuto, vel distracto ad terminum non diminutum, vel non distractum.

306. Tertia fallacia est ignoratio Elenchi, pro qua intelligenda supponendum est: Elenchum esse syllogismum contradictionis, id est, probantem contradictorium ejus, quod fuit, concessum, vel simul inferentem duo contradictoria, quod si verè probet: dicitur verus Elenchus, si falsò, dicitur sophisticus, & in eo consistit hujusmodi fallacia, quæ tunc committitur, quando arguitur in conclusione contradictorium antecedentis, non servatis legibus veræ contradictionis, ut: *Petrus velociter currit, & non currit tardè, ergo currit, & non currit.* Consequentia non valet, quia velociter currere, & tardè non currere non sunt contradictoria.

307. Quarta fallacia est fallacia consequentis, quæ committitur, quando arguitur à contradictorio antecedentis ad contradictorium consequentis, vel ab affirmatione consequentis ad affirmationem antecedentis; ità hic syllogismus:

finus:

smus : *Qui dicit te esse equum, dicit te esse animal ; sed qui dicit te esse equum, dicit falsum : ergo qui dicit te esse animal, dicit falsum.* Habet fallaciam consequentis, quia non valet consequentia, *non est equus, ergo non est animal.*

308. Quinta fallacia vocatur petitio principii, & committitur, quando probatur idem per idem, aut assumitur res ignotior, vel æquè ignota ad aliquod probandum, ut si quis volens probare, Logicam esse scientiam, assumeret hoc antecedes. *Falsum est Logicam non esse scientiam, ergo Logica est scientia.*

309. Ultima fallacia est, non causæ pro causa, quæ comittitur, quando deducimus consequens ex antecedenti non proprio, ipsi tribuentes veritatem consequentis, ut: *Petrus est musicus, ergo ædificat*, consequentia non valet, quia licet verum fortasse sit, Petrum esse musicum, & Petrum ædificare, ratio tamen, cur Petrus ædificat, non est, quia est musicus; sed quia est Architectus. Et hæc de summulis dicta sint satis.

Errata corrige.

Pag. Lin.

8. 16. reperitur *Lege* reperiuntur.
23. 24. significatationem *lege* significatationem.
36. 20. adjungantur *lege* adjungatur.
46. 7. affirmatur identitas &c. *lege* affirmatur cum Petro identitas eius, qui amat;
22. significaco *lege* significato.
68. 18. enunciat *lege* indicat.
72. 15. redtrictio *lege* restrictio.
24. signuum *lege* signum.
94. 20. firmat *lege* affirmat.
99. 16. simpliciiier *lege* simpliciter.
113. 2. rationulis *lege* rationalis.
114. 13. falsa *lege* falsa, neque necessario vera,
119. 24. contrrdictoria *lege* contradictoria.

FINIS.



DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR
6378-1953 naplósám

6378-1953

751027

ii-
re
re
i-

to
to

i-
r.
e
i-

751027

751027

D

